

**Florae Peruviane, et Chilensis prodromus, sive novorum generum
plantarum Peruvianarum, et Chilensium descriptiones et icones / Hippolyto
Ruiz et Josepho Pavon.**

Contributors

Ruiz, Hipólito, 1754-1816.

Pavón, José, 1754-1840.

Bossi, Jac

Flori, Ant

Carattoni, Gio

Xuárez, G.

Paleariniano.

Publication/Creation

Romae : Paleariniano, 1797.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d7uh2ps8>

License and attribution


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



N. xi x 73

Sotnick 15/II/28
no 552 £700



F L O R A E
PERUVIANAE, ET CHILENSIS
PRODROMUS



F L O R A E
PERUVIANAE, ET CHILENSIS
PRODROMUS

S I V E

NOVORUM GENERUM PLANTARUM
PERUVIANARUM, ET CHILENSIUM
DESCRIPTIONES, ET ICONES

AA.

HIPPOLYTO RUIZ, ET JOSEPHO PAVON
REGIAE ACADEMIAE MEDICAE MATRITENSIS
BOTANICIS.

EDITIO SECUNDA
AUCTIONIOR, ET EMENDATIONIOR.

R O M A E
IN TYPOGRAPHIO PALEARINIANO
M. DCC. XC. VII.

PRÆSIDUM FACULTATIS.



V I R O . A M P L I S S I M O
A N T O N I O . D E S P V I G . E T . D A M E T O
D O M O . P A L M A . B A L E A R I D V M
S A N C T I S S I M I . D . N . P I I . P A P A E . S E X T I
P R A E L A T O . D O M E S T I C O
A C . P O N T I F I C I O . S O L I O . A D S I S T E N T I
H I S P A L E N S I . A R C H I E P I S C O P O
E Q V I T I . H I E R O S O L Y M I T A N O
M A G N A . C R V C E . P E R I N S I G N I S . R E G I I . O R D I N I S
C A R O L I . I I I . D O N A T O
D E . R E . A N T I Q V A R I A . R O M A E . E T . I N . B A E T I C A
D E . C H O R O G R A P H I A . M A I O R I S . B A L E A R I D I S
O P T I M E . M E R I T O
S C I E N T I A R V M . A C . B O N A R V M . A R T I V M
P A T R O N O . M V N I F I C E N T I S S I M O
C E L E B R I O R V M . A C A D E M I A R V M . S O C I O
I N . R E G I A . S . F E R D I N A N D I . C O N S I L I A R I O
P A T R I A E . I N S T A V R A T O R I . A C . N V T R I T O R I
A B . H I S P A N I A . I N . V R B E M
F A V S T I S . A V S P I C I I S . R E V E R T E N T I
F L O R A E . P E R V V I A N A E . E T . C H I L E N S I S
P R O D R O M V M
M A T R I T I . E X C V S V M
S E C V N D I S . C V R I S . N V N C . P E R P O L I T V M
O B S E Q V I I . C A V S S A . M V N V S C V L V M
E D I T O R E S . D E V O T I
D . D . D .

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Wellcome Library

ADPROBATIO.

JUSSU R^mi Patris Sacri Palatii Apostolici Magistri Opus legi, cui titulus : *Florae Peruvianae, et Chilensis Prodromus, sive Novorum Generum Plantarum Peruvianarum, et Chilensium descriptiones, et Icones, Auctoribus Hippolyto Ruiz, et Joanne Pavon, Regiae Academiae Medicae Matritensis Botanicis*. Hoc quidem Opus mirifice commendant tum Clarissimorum Auctorum ingenii et Scientiae fama, tum undecim annorum in Americes Meridionalis regionibus in eum finem susceptae peregrinationes, difficultates devictae, perpassi labores, adita discrimina, quibus factum est ut nonnulla nova Plantarum genera primi in natali earundem solo ipsi detegerent, alia vero complura, licet antea nota, diligentiori instituto examine, reformarent, propriis characteribus distinguerent, dilucide describerent, subjectisque iconibus explicarent. Quanta inde Botanicae facultati facta fuerit accessio, quamque doctissimis lucubrationibus, et laboribus bene Clarissimi Auctores de societate meruerint, nemo non videt, qui, quot innumerae in remotissimis illis regionibus excrescentes Plantae, Medicinae et Artibus emolumenta suppeditent, plane non ignorat. Quamobrem et Auctoribus ipsis acceptissimum, et societati perutile futurum existimo, ut idem Opus, duobus jam ab hinc annis Matriti magnificentissime excusum, nunc autem magis correctum, et auctum, atque a Cavanillesii animadversionibus vindicatum iterum Romae typis mandetur : praesertim cum novae hujus editionis curam susceperit Clarissimus Vir D. Caspar Xuarez, qui Hortum Vaticano-Indicum in Urbe excolens, editis jam tribus voluminibus de virtutibus, proprietatibus, viribus, et usibus Plantarum Novi Orbis apud Americanos, maximam sibi in rebus Botanicis laudem comparat.

Datum Romae in S. Maria super Minervam die 13. Augusti, ann. 1796.

F. Joannes Baptista Chiesa Ord. Praed.
in Ven. Collegio Germanico-Hungarico
Theolog. Moralis Professor.

A D P R O B A T I O.

JUSSU R^mi Patris S. P. A. Magistri evolvi Opus, cui Titulus: *Florae Peruvianaë, et Chilensis Prodrômus*. Auctoribus D. Hippolyto Ruiz, et Josepho Pavon etc. Nemo sane hujus operis præstantiam commendare satis poterit, nisi qui solidum mercium pretium, et quot, quantisque laboribus hæc steterint Cll. Viris, noverit supputare; R. A. Matritensi jampridem addicti, et ad longissimam, difficillimamque Expeditionem a potentissimo Hispaniarum Rege Carolo III. artium, veterum monumentorum, Litterarumque omnium, Reique præsertim naturalis liberalissimo Fautore delecti, tum votis satisfaciundi Augustissimi Mecaenatis, tum augendæ Botanices ardore inflammati dissitarum Regionum laboriosissimum iter, sequuti exempla summorum in Botanica Virorum Hernandez, Kempherii, Tournefortii, Plumerii, Linnæi, Gmellini, Jacquinii etc., audacter susceperunt. Quum ego florènte ætate, aspera Alpium juga, prærupta horum Montium loca, imperviosque saltus non sine maximis laboribus, vitæque periculo pluries transcenderim, Cll. Virorum labores, vitæque per barbaras gentes discrimina ignorare, tanto minus floci facere, et præterire minime possum. Mirum vero præ caeteris subit perpendere, incredibilem horum patientiam, animique firmitatem nedum in tot, tantisque conquirendis, colligendisque novarum plantarum speciebus; sed in eorum, qui Botanico-Peregrinatores nostros præcesserunt (horum longum in dies producendum catalogum nobis reliquit famigeratissimus Linnaeus) hallucinationibus, quæ in tanta novarum plantarum segete ab accuratioribus evitari vix possunt, scrutandis, ut species ad sua propria genera redigantur; multoque magis eorundem solertiam non solum in novis generibus accurate describendis, sed in his, quod sane maxmum est, affinia secernendo, tuto, certeque stabiliundis, quorum inquam patientiam, atque industriam, quanti habendæ sint, solis Botanicis datum est apprime cognoscere, ac vindicare. Quot igitur grates tam laboriosis, tam industriis, tamque de Republica benemeritis Viris, Ruizio præsertim ob suam Quinologiam Urbi, atque universæ Italiae jamdiu notissimo, non agendæ? Quot nostro Phylo-Botanico Xuarez, cujus diligentiam, ardoremque in colendis prope Vaticanum exoticis plantis, iisque evulgandis alias (a) adprobavi, miratus sum ac merito commendavi, Operis hujus correcti, et criticis animadversionibus aucti Matriti a biennio elegantissime impressi novam modo Romanis Typis una cum gravi, patriumque amorem spirante Praefatione novisque Notis illustrati Editionem curanti non erunt referendæ? Quot nostri Editoris sociis: in colendis, alendisque exoticis plantis diligentissimo Philippo

(a) Vide Opuscula sub titulo: *Osservazioni Fitologiche sopra alcune piante introdotte in Roma*, a DD. Filippo Aloysio Gillio, et Caspare Xuarez.

Gilio , atque Carolo Fea , I. U. D. , multigenae eruditionis viro , reique naturalis aequae benemerenti non tribuendae ? Ego interim Clarissimis Viris de tam praeclari Operis suscepta editione summopere gratulor ac gaudeo ; et quum opus nihil habeat , quod Fidei , bonisque moribus adversetur , plurima vero in artes , commercium , Physicam universam ac Medicinam commoda parere possit , ac debeat ; idcirco Medicis praesertim , atque Botanicis , totiusque rei naturalis cultoribus gratum , acceptumque fore , meritoque Typis denuo committendum esse censeo .

Dat. Romae Kal. Sept. 1796.

*Georgius Bonelli e Coll. Urbis , et in
Romana Universitate Antecessor ,
atque Med. Decanus etc.*

I M P R I M A T U R

Si videbitur Reverendiss. Patri Magistro S. P. A:
F. X. Passeri Arch. Larissen. Vicesg.

I M P R I M A T U R .

Fr. Thomas Vincentius Pani O. P. Sac. Pal. Apost.
Magister,

G A S P A R X U A R E Z

L E C T U R I S.

ETsi *Prodromus Florae Peruvianae, et Chilensis* ab anno 1794. typis Matritensibus excusus fuerit, nondum tamen ejus exempla legitime publicata esse constat. Causas hujus dilationis nihil mea refert scire, aut in eas inquirere. Illud equidem exploratum habeo, opus maxime dignum esse, quod recudatur, et ubique in publicam lucem prodeat.

Duo potissimum sunt, ex quibus illud commendari debet: alterum operi extraneum, alterum ex rei ipsius natura, et merito petitum. Nam primum auctoritate Regum Catholicorum opus se tuetur. Carolus Rex III. iter, sive excursus in Novum Orbem rei botanicae promovendae causa, peragi jussit: Regii fisci sumptibus viri clarissimi, Prodromi hujus auctores, Botanices cum primis experientissimi, in remotis illis regionibus diu versati sunt, ut cognitionibus tanto molimini perficiendo necessariis instruerentur.

CAROLUS IV., qui feliciter regnat, eosdem Botánicos, ex America jam regressos, Regii quoque fisci expensis Matriti dēgere jussit, ut in eundem laborem incumberent: quem denique absolutum, et approbatum, auctoritate Regia typis committi voluit, ut in editionis Matritensis prima libri fronte conspicitur. Haec omnia facile arguunt, eximium opus id esse; pro quo scilicet duo tam Augusti Principes tam aperte patrocinium suum exhibuerunt.

Quid, quod labor hic cedit in honorem nationis Hispanae,

tum Europaeae, tum Americanae! Utraque enim auxilium operi praestitit in ortu, in progressu, denique in editione: atque adeo opus auctoritate quodammodo universae nationis Hispanae roboratum est, quacum proinde quantocius communicari debet. Hispano-Europei cognitionum lumen, rerumque notitias, virosque Botanices studiosos qui adlaborarent, subministrarunt. Hispano-Americani, cum haec omnia, tum (quod caput est) magnam vim pecuniae ad expensas, editionemque operis, ut in Praefatione Prodrumi enarratur, praebuerunt.

Deinde verum operis pretium, et proprium meritum est, quod ad omnes facultatis botanicae regulas exactum est: in suo genere quodammodo unicum, quippe ab auctoribus e fundamentis erectum, fructus peregrinationum, et observationum physicarum eorumdem, ac literarius foetus perpetui studii, et sublimium cogitationum.

Sane opus classicum hoc est, non solum quia princeps inter alia hujus generis, quibus Hispania gaudet, et quia in prima classe reponi debet inter similia alia ubivis publicata; sed etiam quia scientiae ritu distributum, digestumque est per Classes, Ordines, Genera etc. juxta doctam methodum, et admirabile systema ab equite Linnaeo, Botanices Principe, constitutum.

Praeterea generi humano utilissimum opus: nam plura nova Genera, et Species plantarum, quae hactenus ignorata latuerant, in lucem, et notitiam hominum profert. Agit etiam de multis vegetabilibus, quae progressui artium, commercii, ac Medicinae, aliisque oeconomicis usibus utilia esse possunt.

Honorificum quoque id opus est Regibus Hispanis, qui quum illud promoverint, aperte demonstrarunt, quantopere subditorum sibi populorum utilitati consuluerint, et profectui scientiarum, liberaliumque artium prospexerint. Illud etiam commodi redundabit, quod nota Hispano nomini ab exteris inusta, dispungetur,

qui vulgo jactant, Hispanos in scientiis naturalibus, et experimentalibus minime versatos esse; a labore et studio utili abhor-
rere, veras divitias, quas in Orbe Novo possident, neque perspe-
ctas habere, neque scire illis uti, aut eas in publicam lucem re-
cto ordine, ac systemate committere. Haec enim omnia falsa esse,
satis vel ex hac sola lucubratione evincitur.

Quod si universae genti Hispanae foetus hic literarius magnam
gloriam afferet; quantum inde decus accessurum arbitramur ipsis
auctoribus, qui tam utilem laborem susceperunt, ac singulari modo eo-
rum magistro, qui eisdem prima scientiarum naturalium elementa
tradidit, et Regis jussu sapientissima monita pro botanico in Ame-
ricam excursu exhibuit? Nempe hic est D. Casimirus Gomez Or-
tega, clarum in orbe literario nomen, cui laudi verti debet, quod
tum eruditos discipulos instruxerit, ut nihil nunc dicam de doctis
ejus scriptis, quibus sempiternam famam consecutus est.

Re vera tam praeclarum hujus operis meritum est, ut eo
res naturales Americanae multo melius illustrentur, et explicentur,
quam ceteris omnibus libris, qui in hoc genere adhuc prodierunt.
Atque ausim dicere, auctores nostros suis inventis, et scriptis no-
tiorum nobis Novum Orbem, quam veteres ejusdem inventores,
et expugnatores suis armis, reddidisse. Libri, quos hactenus edi-
tos scimus, aut obiter de his rebus agunt, aut nullo ordine, seu
methodo scientiae congruenti. Veteres Americae conquisitores non
tantam utilitatem hoc quidem in genere (nam religionis causam
excipio) illis regionibus attulerunt, quantam nostri recentes in-
vestigatores philosophi, et humanissimi Botanici, qui praeterquam
quod insigni comitate cum Hispano-Americanis, imo etiam cum
Indis conversati sunt, naturae thesauros eis aperuerunt, et erudi-
ta scripta evulgarunt, quae utilia maxime sunt cum Americae ipsi,
tum universo orbi. (*)

a 2

(*) Quod attinet ad singularem hu-
manitatem nostrorum Botanicorum er-
ga Hispano-Americanos, et ipsos etiam
Indos, doctrinamque in rebus natura-

Haec rationum momenta satis superque esse deberent, ut *Flora Peruv. et Chil.* ab homine Americano, qualem me esse profiteor, rursus typis committeretur; sed praeter has causas illud me maxime impulit ad hanc secundam editionem procurandam, quod Botanici, et literati in Italia, et extra Italiam magno desiderio tenebantur tam insigne opus acquirendi. Statim ac Romae exemplum editionis Matritensis comparuit, et in Ephemeridibus litterariis Romanis anni proxime elapsi 1795. die 7. Febr. Num. VI. ratio *Prodromi* accurate exposita fuit, multos ingens cupido incessit sibi Volumen comparandi.

Verum plurimae obstabant difficultates. 1. Raro ex Hispania huc merces commeant, praesertim ob belli praesentis incommoda. 2. Ingens pretium pro eo tomo pendendum esse credebatur, quum editio sit magnificentissima. 3. Quod nondum perspectum erat, an editio Matritensis publici juris facta fuisset; quamvis ejusmodi publicationem non diu differendam credi poterat: nam opus jussu Regis typis excusum erat, et expensis Hispano-Americanorum, qui quodammodo jure suo illud evulgari, eoque frui desiderant.

Quum hae difficultates vix superabiles multos incertos tenerent,

libus investigandis cum eisdem communicatam, in rei hujus confirmationem proferre possumus epistolas familiares eorundem Americanorum ex illo Novo Orbe ad nos missas anno 1793. et seqq. De scriptis vero, quae jam publicarunt, testis est Hispania. Mihi videre contigit nonnulla D. Hippolyti Ruiz, scilicet: 1. *Quinologiam* hispanice Matriti 1792., deinde Romae in linguam italicam conversam, et editam eodem anno: ubi auctor mira eruditione historice, medice, et botanice agit de *Quina*, seu *Cinchona Officinali* Linn., aliasque praeter hanc Species vel a se noviter detectas, vel observatas, quales sunt *C. tenuis*, gla-

bra, *purpurea*, *lutescens*, et *fusca*, methodice describit. 2. Quatuor Dissertationes exhibitae R. Academiae Medicae Matritensi hispanice Matriti hoc anno 1796.; in quarum I. eodem modo ac de *Quina* scientifice tractat de *Ratanhia*, seu *Krameria triandra*. Nova Sp. *Flor. Peruv.* edendae. In II. de *Calaguala*, seu de *Polypodio* Linn. In III. de radice *Chinae*, seu *Smilacis Chinae* Linn. In IV. denique de *Canchalagua*, seu *Gentiana Canchalagua*. *Flor. Peruv.* seu *Cachanlahuen* Molinae. 3. Respon- sionem ad Impugnationem D. Josephi Antonii Cavanilles adversus *Prodromum Florae Peruvianaes, et Chilensis* hispanice praesenti anno 1796.

nonnulli me convenerunt, hortatique sunt, ut novam editionem ego Romae aggrederer: quod, ut aiebant, nemo melius id exequi posset, quod ego in America, atque adeo in Regno Peruviano natus cognitionem haberem quarundam plantarum ex iis saltem, quae in hoc volumine explicantur, et in aliis sequentibus explicabuntur: et quod hoc opus eodem fere argumento versatur, atque aliud, quod ego una cum socio meo Philippo Gilij in publicam lucem emisi, et emittere pergam, inscriptum italice: *Osservazioni Fittologiche sopra alcune piante esotiche introdotte in Roma*. Quarum pleraeque sunt Americanae, neque Romae adhuc satis cognitae.

Etsi autem hae rationes justae, ac efficaces mihi videbantur, ne tamen amicis suadentibus illico morem gererem, duo me maxime impediabant. Alterum, quod ex Curiae Hispanae peculiari quodam respectu pendebat, audito oraculo Ministri Plenipotentarii Regis Catholici ad Romanum Pontificem, evanuit. Alterum, quod sumptus non sane modicos editionis, et figurarum aeri incidendarum respiciebat, de medio quoque sublatum fuit, quum expensas mecum pro rata portione se subituros sponte promiserunt nuper laudatus socius meus D. Philippus Gilij, et Advocatus D. Carolus Fea, uterque in Republica literaria celeberrimus ob multa, ac varia scripta, maxime vero in Historia naturali.

His difficultatibus ita superatis, denique ad novam hanc editionem me accinxi, edito die 11. septembris anni proxime elapsi 1795. *Conspectu novae editionis etc.*, ut, quid *Flora Peruv. et Chil.* contineret, notum palam omnibus in genere facerem, et rationem etiam indicarem, qua ego hanc editionem exequi decreveram, adhibito tantum contextu latino, et in charta minoris formae ut facilius exemplaria distrahi, et attrectari possint. Distinctius privatis litteris D. Hippolytum Ruiz praecipuum expeditionis botanicae, et operis auctorem, novae editionis, quam moliebar, monui, ut aequum erat, et ut ejus consensum obtinerem.

Interea quum omnia jam praelo parata essent, ad meas manus advenit opusculum hispanum laudati Ruizii, quod in Nota supra indicavi, *Responsio*, scilicet, *ad impugnaciones viri cl. D. Josephi Antonii Cavanilles* contra *Prodromum*. Quoniam vero in hac *Responsione* plura nova Genera plantarum *Prodromi* vindicantur, opportunum duxi, explicationi plantarum Notas subjicere, quibus suis locis impugnationem Cavanillesii, responsionemque Ruizii, hoc est, plantae supra descriptae defensionem, breviter proponerem.

Profiteor, me exemplum aliquod impugnationum Cavanillesii videre vehementer expetivisse. Quod quum nancisci non poruerim, verbis ejus, ut a Ruizio lingua hispana proferuntur, usus sum. Ea dum latina facio, vereor, ne omnem illam vim, robur, et sensum assecutus fuerim, quem auctor expressit; quod ipsum de verbis hispanis Ruizii debeo animadvertere.

Quoniam vero magna veneratione, et honore utrumque auctorem habeo: uterque enim egregium decus sibi non minus quam genti Hispanae comparant: cum utroque non solum nationis, et patriae communione quodammodo conjunctus sum, sed etiam amicitia et familiaritate epistolari, quantum scilicet distantia locorum, ratioque temporum patitur; nolim meas Notas vel minimae offensionis alterutri eorum esse: et utrumque rogatum volo, uti etiam alios omnes, qui meas Notas fortasse legent, ut secum reputent, me narratoris partes agere, non judicis.

Ceterum quum *Prodromus*, ad quem illustrandum aggredior, auctorem habeat Ruizium, cujus *Responsionem*, et refutationem contra Cavanillesium prae oculis habeo; facile sane est, ut Ruizii rationes validiori forma exhibeam: sed certe multo pauciora dico, et multo minori cum efficacia, quam ipse Ruizius in sua *Responsione*.

Dissimulare tamen nequeo, acri me dolore affectum, quippe

nationis nostrae caritate devinctum, quod hujusmodi bellum intestinum, et internecinum inter praeclaros duos ejusdem nostrae gentis viros exarserit, idque occasione scientiae botanicae, quae juxta systema, et methodum Linnaeanam vel ab ipsis incunabulis magnos progressus in Hispania facere coeperat.

Mirari etiam subit, quod Ruizius non sine aliqua animi acerbitate refert, qui in *Responsionis* titulo ait, Impugnationes Cavanillesii evulgatas fuisse *praemature*: et pag. 3. clarius exponit, in publicam lucem ab ipso Cavanillesio datas, antequam *Prodromus*, quem impugnat, publici juris factus fuisset. Ex quo arguitur, Cavanillesium suas Impugnationes *Prodromi* in vulgus dedisse, dum adhuc *Prodromus* intra privatos lares quodammodo occultus lateret; ac proinde Cavanillesio non licebat de *Prodromo* palam judicare, et in eum censuram ferre.

Sed, ut ego arbitror, non operis dijudicandi, aut infamandi causa, sed ut correctius, locupletiusque prodeat in lucem, Cavanillesius suas contra *Prodromum* fecit animadversiones. Ego equidem simili ac majoris perfectionis operis accensus desiderio, a praecipuo auctore Ruizio per litteras consilium exquisivi, num oporteret, a me subjungi notas, quibus ejus responsiones, aut correctiones, quae post excusum volumen, ipsi, ut assolet, occurrerunt, breviter exponerem. Quod quum illi fieri non displicuisset, tuto asseri potest, hanc Romanam editionem Matritensi correctionem ex mente auctoris, auctioremque esse.

Iuverit tandem hoc loco animadvertere (quod non minus in *Florae Peruv.* decus, quam in almae Urbis laudem redundare velim) eandem propemodum fortunam hujus Florae editionem subisse, ac Historiam Plantarum Mexicanarum, auctore immortalis nominis viro Francisco Hernandez. Egregius hic Botanicus impensa Philippi II. Catholici Regis in regnum Mexicanum missus, de plantis Mexicanis praeclarum opus conscripsit; quod tamen in Compen-

dio redactum publicam lucem vidit Romanis typis auctoritate, et auspiciis Philippi IV., magni illius Regis Philippi II. nepotis, excusum. Ita fere opus plantarum Peruvianarum, quod Botanici nostri, Caroli III. jussu in eas regiones delati, adlaborarunt, Caroli IV. hujus filio feliciter regnante, Romae recusum novum quemdam splendorem accipit; argumento certo ejus favoris, quo Roma eruditas Hispanorum lucubrationes semper prosecuta est: quod multis veterum exemplis in quovis alio genere confirmari posset, nisi perspicua essent, et ante omnium oculos versarentur nostri temporis documenta.

Praedictas meas notas hoc signo (*) indicabo.

P R A E F A T I O

A A.

ANtequam de expeditione, deque Peruviana Flora et Chilensi quaecumque scitu maxime sunt necessaria, moneamus; operae pretium erit rem altius repetendo Botanices in Hispania fata summatim perstringere, ut expeditionis origo, et causa melius innotescant, simulque evincatur, Hispanos praeter Massonis sententiam, aliorumque recentium Philosophorum, exterorum quidem, adeoque rerum nostrarum non satis peritorum, a remotissimis usque saeculis ad Scientiarum, et praesertim ad Botanices, Naturalis Historiae, et Agrorum culturae studiorum incrementa nunquam non contulisse. Omitamus sane eos de his rebus Scriptores, qui sub caelo nostro nati, atque educati primis illis, et obscuris temporibus extiterunt, atque etiam sub Romanorum Imperio unum instar omnium nominare saltem liceat *L. Jun. Moderatum Columellam*, et vigente in Hispania Arabum dominatu *Averrhoem*, qui Cordubae floruit, *Beitarem*, *Malacitanum*, *Ebn Golgol*, (a) *Ebn Rogeh*, et *Abu-Zachariam Jahiam*, cujus praeclarus de agrorum cultura liber arabice exaratus, ab eruditissimo viro P. Josepho Banquerio hispanice conversus, et annotationibus illustratus jamdiu sub praelo sudat, ne quid dicamus de pene incredibili aliorum ejusdem gentis Auctorum numero, quorum MSS. in percelebri Michaelis Casiri Bibliotheca Arabico-Hispana late recensentur.

Ad tria saecula proxime elapsa, quorum gesta propius ad nos pertinent, propere veniamus, et in memoriam breviter revocemus, quid post renatas in Europa litteras, excussumque tandem Saracenorum jugum, in naturae dilucidatione Hispaniae Regum munificentia, et Hispanorum labore, et industria provisum, effectumque fuerit.

Nonne *Gonsalvus Fernandus Ovietus*, *Andreas Laguna*, *Franciscus Hernandus*, *Christophorus Acosta*, *Nicolaus Monardes*, *Franciscus Lopez de Gomara*, *Josephus Acosta*, *Joannes Fragosus*, et *Franciscus Ximenez*, qui inter praeclaros plantarum investigatores

b

(a) Videsis D. Ignatii de Asso *Clar. Hispaniensium Epistolae*. Matriti 1793.

ab ipso Tournefortio in *Institutionum R. H. Isagoge* memorantur, et rursus *Ildephonsus de Herrera*, *Joannes Jarava*, *Benedictus Arias Montanus*, *Hieronymus Huerta*, *Joannes Eusebius Nierembergius*, (*) et nostra memoria *Casparus Casal*, *Josephus Quer*, *Casimirus Ortega*, *Ignatius de Asso*, *Antonius Josephus Cavanilles*, *Ignatius Molina*, *Casparus Xuarez*, aliique non pauci, scriptis evulgatis peregrinationum suarum, diligentiae et doctrinae luculenta testimonia prae-buerunt? Multo quidem plures populares nostri iisdem temporibus extiterunt, qui privato studio Botanicen impense coluere, inter quos eminent *Simon Tovar*, Hispalensis, *Joannes Plaza*, Valentinus, *Rodericus Zamorano*, et *Joannes Castaneda*, qui omnes *Carolo Clusio* ex Hispania in Belgium reduci observationes, et plantas saepius miserunt; *Franciscus Micon*, Gotholaunus, et *Augustinus de Leon*, Medicus Palentinus, qui stirpibus ab ipsis detectis cum *Jacobo Dalechampio* communicatis Botanicen locupletarunt; *Petrus Vincentius Esteve*, Valentinus, *Bernardus Cienfuegos*, Turiasonensis, et *Martinus Sarmiento*, e Benedictinorum familia, quorum opera MSS. de plantis eorum industriam, et peritiam abunde declarant. *Didacus* denique *Cortavilla*, pharmacopoeus, qui superiori saeculo Hortum Botanicum sua impensa Matriti aluit; *Jacobus*, et *Joannes Salvador*, Barcinonensis, Tournefortii per Hispaniam, et Lusitaniam itinerum socius. (**)

(*) His addi possent alii ex saeculo praeterito plantarum americanarum Descriptores: scilicet, *Garcilazus Inca* de la Vega, Peruvianus, qui in suis *Incarum*, seu *Peruvianorum Imperatorum Commentariis* Vol. I. Lib. 8. a cap. XI. usque ad XXV. inclusive; et Lib. sequenti a cap. XVI. usque ad XXXI. agit de tribus naturae regnis in Peruvia, et consequenter de illius Regni Plantis: item *P. Alphonsus de Ovalle*, Chilensis, (e S. J.) qui in sua *Regni Chilensis Historia* Lib. I. a cap. IV. usque ad XXIII. inclusive, ubi de productionibus illius regni naturalibus agit, affert etiam plantarum indigenarum descriptiones.

(**) Adduci pariter possunt nonnulli ex recentioribus, qui privato studio, et suis scriptis vel jam editis, vel edendis plures Novi Orbis plantas maxime rariores ac utiliores elucidant. Horum multos enumerat cl. *Laurentius Hervas* in suo *Catalogo Linguarum cognitarum* italice Caesena excuso 1794: et in *Libris De Vita Hominis* hispanice Matriti 1789. impressis. Aliqui ex his sunt: *Andreas Burriel* ex Marchia Laminitano, qui in sua *Notitia Californiae* hispanice publicata Matriti 1751. agit de plantis illius Peninsulae: *Antonius Julian*, Gotholaunus, qui in sua *Margarita Americana* hispanice edita Matriti 1787. tractat de plantis Re-

Quid memoremus *Josephum Ortegam*, *Joannem Minuartium*, *Christophorum Velez*, *Michaellem Barnades*, *Antonium Palaum*, aliosque, qui patrum, nostraque memoria inclaruerunt, quorum nomina novis plantarum Generibus imposita in *Linnaei*, aliorumque *Botanicorum* libris ad sempiternam eorum gloriam consignata tamdiu manebunt, quamdiu plantae iisdem consecratae germinabunt, et scientiae honos constabit? Nihil addamus de ceteris *Hispanis*, qui hac aetate in *Botanices* studium diligenter incumbunt, et quorum non pauci investigationum suarum lucubrationes ad editionem parant, qua et sibi, et nostrae genti immortalem laudem comparabunt.

Jam vero *Hispaniae* Principum liberalitas plane regia, et effusum, uti erga reliquas fructuosas disciplinas, ita erga *Botanicen* patrocinium saepius enituit.

PHILIPPUS, hujus nominis II. inter alia *Villae Regiae Arangesianae* oblectamenta Hortum singularem conserendum, et arboribus, stirpibusque non modo medicinae usui opportunis; sed etiam

gni *Sanctae Fidei*: *Joannes de Velasco*, *Quitensis*, qui in sua *Regni Quitensis Historia* inedita, multa habet de plantis illius regionis etc. etc. *Clariss.* etiam *Molina* nonnulla *MSS.* commemorat in sua *Regni Chilensis Historia*, eorum, qui de *Chili* naturalibus productionibus, consequenterque de plantis scripserunt, quorum unus est amicus *Philippus Vidaurre*, *Chilensis*, qui *Romae* residet.

Praeter hos alii plures numerari possent, quorum scripta mihi constant; paucos tamen proponam: 1. *Cl. Franciscum Xaverium Clavigero*, *Mexicanum*, qui in sua celeberrima *Mexici Historia* cum eruditissimis *Dissertationibus*, in 4. tomos divisa, atque *italice* primum *Caesena* edita 1780., et ad alias linguas postea conversa, ac typis excusa, de pluribus, et praecipuis *Regni Mexici* plantis agit. Idem in sua *Californiae Historia* (posthuma) in duos tomos divi-

sa, et *Venetiis* edita 1789. tractat abunde de plantis *Californianis*. 2. *Cl. Valerium Nogueiro*, *Aragonensem*, cujus memoriae erudita de plantis *Philippinarum* in *Venetis*, et *Romanis Ephemeridibus* diebus nostris evulgatae sunt. 3. *Josephum Jolis*, *Gotholaunum*, in cujus *Historia del Gran Chaco Provinciae Paraguariensis* typis *Faventiae* *italice* publicata 1789. plurimae illius regionis plantae erudite descriptae leguntur. 4. *Josephum Sanchez Labrador*, *Matritensem*, *Provinciae Paraguariensis Missionarium*, et rerum naturalium illius regionis strenuum investigatorem, qui in sua *Paraguariae Historia Naturali* in quatuor volumina divisa, plusquam 200. plantas illius *Provinciae* proprias cum suis proprietatibus, et usibus *hispanice* descriptas, atque etiam plures ex his depictas habet. Opus ineditum, sed maxime dignum, ut publica luce fruatur etc.

rarioribus ex Hispania australi per hominem rei herbariae peritum collectis, et ex vastissimis regnis in utraque India transmissis, di-tandum curavit, ut *Franciscus Franco*, testis oculatus, in libro *de morbis contagiosis* Hispali anno MDLXIX. hispanice evulgato in 8. pag. 38. prodidit. Quin etiam idem Rex potentissimus incredibiles sumptus erogavit, ut *Franciscum Hernandum*, Archiatrum suum, apprime doctum, in Indias Occidentales trajicere jussum sustentaret, qui septem fere annorum spatio in Nova Hispania commoratus Mexicanarum plantarum, animalium, et mineralium genera, formasque inspexit, delineavit, descripsit, eorum omnium vires, et usus diligentissime exploravit, et septendecim stirpium exsiccatarum iconum, descriptionum, antiquitatum, et topographiae volumina confecit, Opus, ut *Natura varium*, et pene immensum, quod in compendium a *Nardo Antonio Reccho* redactum, PHILIPPO IV. editionis impensas erogante, *Rerum medicarum Novae Hispaniae Thesauri* titulo Romae prodiit anno MDCLI.: et quamvis autographi corrupti, et deformati vix imaginem, seu potius umbram repraesentaret, avidissime, summoque plausu ab omnibus Naturae studiosis exceptum est; et integri Operis in Regia Bibliotheca Escorialensi per id tempus asservati, de cuius fati paulo post breviter agemus, edendi desiderium excitavit.

PHILIPPUS V. quocum scientiae in Hispaniam remigrasse viae sunt, ut una cum ipso earum patrono regnarent, Hispali, cum Reg. Medicinae societatem institueret, publicum Botanices Professore in eam adscivit; Gadibus autem non multo postea in Chirurgiae Collegio a se quoque instituto Hortum Botanicum condidit, si amplitudinem spectes, satis exiguum; si ejus in utriusque orbis emporio situm, et stirpium peregrinarum naturam animadvertas, speciosissimum, et longe praestantem.

FERDINANDI VI. providentiae, eiusque erga disciplinas, artesque pacis socias patrocinio acceptum refert Hispania Matritensem Hortum, cui conserendo, veterum Romanorum exemplum aemulatus, populis suis in communem usum praedium suburbanum dono dedit, et duobus Professoribus Botanicen publice docendi munus injunxit. Ad Hortum vero rarioribus plantis augendum, inter alia consilia, quae praeclara cepit, Petrum Loefflingium, e Suecia evocatum, cum nonnullis Hispanis adolescentibus, vegetabilia

cognoscendi, et delineandi apprime peritis, Cumanam, et Orinocum usque suis auspiciis, et sumptibus misit; ex qua Expeditione quot, quantaque utilitates in Botanicen, et Naturalem Historiam promanassent, nisi Loefflingius sub explorationis initium morte praeventus fuisset, conjicere licebit ex ejusdem *Itinere* a Praeceptore Linnaeo ex adversariis excerpto, et *Holmiae* evulgato.

CAROLUS III. PP. Botanices instaurator, et bonarum Artium, Scientiarumque Fautor egregius, Hortum Matritensem *Civium saluti et oblectamento* in florentissimum et maxime opportunum Regiae Urbis locum transtulit, utrumque Professore honestioribus stipendiis, Botanices Auditores privilegiis, immunitatibus, praemiis auxit, Hortum denique ipsum legibus, majori Hortulanorum numero, et pretiosa selectorum librorum supellectile ditavit. Hortus quoque ad novam Carthaginem, cui publicum etiam Magistrum praefecit, sapientissimi Regis, ad generis humani felicitatem nati, memoriam nobis, posterisque commendabit. Sed haec beneficia quantumvis maxima sint, longe superant tot tantaque Expeditiones Botanicae, ejusdem Principis auspiciis, et infinito propemodum sumptu terra marique uno fere eodemque tempore susceptae. Si quidem nondum e Peruviae, et Chilensis Regni exploratione, de qua fusius mox verba faciemus, in Hispaniam redieramus; cum Josephum Caelestinum Mutis Novum Regnum Granatense peragrate, Joannem Cuellarem Insulas Philippicas adire, Martinum Sesseum cum sociis Mexicanas Provincias lustrare, Vincentium Cervantesium Hortum Mexici condere, et Botanicen publice docere, Antonium denique Pinedam, Ludovicum Nee, et Thadeum Haenke totum terrarum orbem, rerum naturalium inquirendarum causa, circum navigare decrevit.

Mutisio quidem, Americes Botanicorum Principi, uti eum Linnaeus filius appellat, Discipulos adjutores, et plures Pictores attribuit, ut splendidissimum Opus triginta annorum vigiliis, et assiduis per Americam Septentrionalem itineribus sua impensa a clarissimo viro inchoatum, atque elaboratum, regiae liberalitatis adjumentis, praesidiisque suffultus perficiat. Joannes Cuellar corticis *Lauri cinnamomi*, fructuumque *Myristicae et Piperis nigri*, quarum plantarum culturam ad Manilam diligenter, et feliciter promovet, selecta specimina in Hispaniam misit, aliorumque vegetabilium a se detectorum, Mercaturam, tingendi Artem, et Botanicen locupletantium.

Neque exiguas naturae gazas a Ludovico Neeo , et Thadeo Haenke in Europam reportandas expectamus , quos jam jam reduces , vita misere in medio observationum laborumque cursu ob nimiam corporis , et animi defatigationem functo clar. Pineda , videre confidimus .

Ex Mexicensi vero expeditione , ut nihil dicamus de Cervantesii ingenio , et in munere obeundo diligentia , ex cujus officina tot nobiles Botanici prodire , et quotidie prodire non cessant , plures seminum , plantarum scienter exsiccatarum , descriptionum , et elegantissimarum iconum collectiones in Hispaniam sunt transmissae , atque assiduo mittuntur , quarum utique ope jactura sarciatur tabularum graphice pictarum , quibus Hernandus opus suum instruxerat , quaeque cum universis Operis voluminibus luctuoso incendio Bibliothecae Escorialensis , quod anno MDCLXXI. accidit , conflagrarunt . In hunc scilicet scopum collinearunt optimi Regis consilia , qui expeditionem illam faciendam jussit , simul ac Hernandi Opera cum edita , tum inedita evulganda decrevit , pristinae integritati restituta , et ad autographi fidem expressa , quae quinque voluminibus auctoris ipsius manu passim emendatis continebantur , in Collegii Imperialis , quod Matriti ad Societatis Jesu Sacerdotes pertinuerat , Bibliotheca non sine divino consilio nostra aetate detectis . (a) Qua occasione minime silentio premendum videtur aliud CAROLI III. providentiae , et liberalitatis , quod maxime ad rem facit , argumentum .

(a) Enimvero impensa et jussu Regio lucem jam viderunt Matriti anno MDCCLXXX. et proxime sequentia priora hujus Operis Volumina , editionem curante Casimiro Gomezio Ortega , quae quidem Novae Hispaniae Plantarum Historiam continent , copiosissimis Mexicanorum earumdem nominum , locorum natalium , et rerum notatu dignarum Indicibus illustratam . Quartum Volumen , quod Animalium , et Mineralium descriptiones exhibebit , una cum nonnullarum Plantarum in India Orientali , et in

Insulis Philippicis nascentium Historia , propediem evulgabitur , et ipsi fortasse adjicietur rarissimum et valde expetitum Francisci Ximenez de eodem ac Hernandi argumento Opus . Quinti denique Voluminis edendi et illustrandi cura praelaudato D. Francisco Cerdano commissa est , quod scilicet lucubrationes complectetur prorsus ineditas , *de maximo Templo Mexicano , de Provincia Sinae , de morbo Cocoliztli , Christianae methodi* libros tres (versibus hexametris exaratos) , et *Opuscula varia philosophica* .

Gonsalvus Fernandus Ovietus, a Tournefortio, uti superius innuimus, inter Botanicos peregrinatores recensitus, ex L. libris, quibus Indiarum Historiam complexus fuerat, XX. tantum vivus ediderat: reliqua desiderabantur non sine doctorum hominum querela, qui Indiae Occidentalis Plantas, ceterasque res naturales satis accurate pro aetate, qua viguit, ab auctore descriptas, et delineatas in operis parte hactenus evulgata animadverterant. Interea, anno nempe MDCCLXXIV. D. Francisci Cerdani et Rico eruditissimi et indefessi viri diligentia inventi fuerant Valdoliti in locupletissima marchionis Truxillorum Bibliotheca nonnulli ex supradictis ineditis libris, qui una cum eis, quos in S. Ecclesiae Hispalensis, et Coenobii Montisserati Matritensis tabulario asservari comperit, desideratorum omnium Ovieti librorum, excepto vigesimo octavo, qui nondum detectus est, numerum complent. Hos igitur pretiosissimos Codices, quibus Botanice, et Naturalis historia amplificaretur, Rex optimus sua quoque impensa publici juris, accurate ipso Cerdano, faciendos perhumaniter statuit.

Jam vero quid CAROLO IV. Augusti patris cum regnorum tum etiam virtutum heredi, in hoc genere, uti in omnibus, quae ad communem hominum utilitatem pertinent, non debemus? Simul enim atque imperio potitus est, Hernandi operum editionem haud minus urgeri, et ad finem perducere jubet. In Valentina Academia (Universitatem vocant) toto orbe celeberrima Botanicæ studium, quod ea in Urbe sub amoenissimo caelo sita semper floruerat, meliori scientiarum docendarum ratione constituta instaurat. Regium Chirurgiae Collegium, Barcinonense, Horto Botanico et hujus scientiae magisterio auget, expeditiones Botanicas non modo fovere pergit, et novis praesidiis sustentat; sed etiam insignes Plantarum explorationes per feraciores Hispaniae Provincias a praeaudato Antonio Josepho Cavanilles, et a Michaele Barnades, clar. Patris aemulo et imitatore strenuo, suis auspiciis institutas promovet. In Teneriffa, Insularum fortunatarum maxima, Hortum Botanicum condendi, et rarioribus ex utraque India plantis instruendi negotium ornatissimo et eruditissimo viro D. Ildephonso de Nava, Marchioni Villanovano, committit. Matritensem denique Hortum novis ad praelectiones aedibus, et ad Professorum, Hortulanorumque habita-

Atque haec sunt, quae de Regum nostrorum providentia, eorumque erga Botanicen, et Historiam Naturalem patrocínio, deque Hispanorum ad easdem scientias amplificandas laboribus delibare, et praemittere oportuit, ut appareat, quos inde fructus respublica hactenus perceperit, et quos deinceps perceptura sit; atque ne in posterum hispanae genti per rerumstrarum ignorantiae speciem objici queat, parum aut nihil populares nostros ad humanarum cognitionum incrementa contulisse.

Redeamus modo ad Expeditionis Peruvianae historiam, quae prima, ac praecipua fuit earum omnium, quae ipsam deinceps consecutae fuerunt, cui et Flora, et Florae debetur Prodromus, quem in praesentia evulgamus.

Translato itaque intra Urbis moenia Horto Matritensi, atque invalescente in dies apud nostrates plantarum studio auspiciis CAROLI III., nihil praetermittendum arbitrabatur Rex sapientissimus, quod ad Botanicen, cujus proventum, usumque ad victum, ad morborum curationem, ad artes perficiendas quam late patentem probe noverat, promovendam, et ad novum Hortum locupletandum spectaret; cumque plura itinera per amplissimas utriusque Indiae provincias suae ditioni subjectas ad novarum stirpium explorationem institui opportunum existimasset, initium ducendum decrevit a feracissimis Peruviae regionibus, consilio usus Ex. D. Josephi Galvez Sonorae Marchionis, ejus ad Indiarum negotia administri. Is Casimirum Gomezium Ortegam, dilectissimum Praeceptorem nostrum, consuluit, quosnam adolescentes ex omnium Auditorum numero, qui ejus praelectiones frequentabamus, praeferendos censeret.

Regia igitur benignitate delecti, et libris, commentariisque, quibus mandata continebantur, muniti Matrilo profecti sumus una cum D. Josepho Dombeyo, Galliarum Regis Medico, et Botanico egregio, qui peregrinationis jucundum comitem nobis se adjunxerat, et Pictoribus Josepho Brunete, et Isidoro Galvez. Gadibus post exiguum moram conscensa navi *el Peruviano* dicta, cujus Navarcho, D. Josepho de Cordoba, nunc Classis regiae Legato, gratum animum ob eximiam liberalitatem erga Dombeyum, et praestita nobis omnibus humanitatis officia publice libenterque testamur, in Peruviam solvimus pridie Non. Nov. Anni MDCCLXXVII. Post varia maris exantlata pericula, et longa malaciae fastidia *Cal-*

laum portum tandem appulsi VII. Idus Aprilis anni MDCCLXXVIII. Limam cum sarcinis nos contulimus.

Quam cito, quantaque cum alacritate ad munus explendum nos accinxerimus, facile conjiciet quicumque regionis feracitatem, plantarum penitus Botanicis ignotarum, quibus scatet, copiam, et singulares earum observandarum opportunitates consideret; siquidem intra tropicos crescentes Arbores, et Frutices fere omnes floribus simul, et fructibus onustae, atque etiam utpote a frigoris hyemalis injuriis immunes, foliis continuo vestitae luxuriant, et quasi gemmis destitutae conspiciuntur; quia licet omnia illarum folia intra annum decidant, jactura haec vix animadvertitur ob eorum reparationem, quae sensim fit, novis subinde, et multo celerius, quam in frigidis regionibus, sese explicantibus axillaribus foliis: minores autem stirpes continuo floribus, fructibusque praeditas observare licet.

Ut omittamus in praesentia, et in Expeditionis Historiam, quam seorsim edere animus est, reservemus, quaecumque de itineribus, peregrinandi ratione, eventibus, periculis, laboribus, et inventis singulis non modo ad Botanicen, sed etiam ad Mineralogiam, et Zoologiam spectantibus in adversariis diligenter adnotavimus; hic loci Peruviae, et Chilensis Regni tractus, quibus undecim annorum spatio commorati, aut peregrinati sumus, summatim indicasse sufficiet. Primum loca Limae vicina pedibus lustravimus, *Gentiana Canchalagua*, *Graminibus*, *Begoniis*, aliisque novis, et flore speciosis plantis spectabilia, hortosque *Citris*, *Limonibus*, *Aurantiis*, *Annonis*, *Psidiis*, *Lauro Persea*, *Achris*, *Campomanesia*, *Musis* arte, aut etiam sponte nascentibus superbientes. Deinde Provinciam *Chancay*, plantis *Monadelphis*, et *Diadelphis* insignem, ejus arenosos, herbososque colles maris fluctibus successos, et campos *Arundine saccharifera* consitos exploravimus, ex qua saccharum conficitur cum Batavorum artificiis parato haud immerito conferendum. Postmodum ad *Lurinum Crotones*, *Cassias*, *Mimosas*, *Amaryllidas*, *Pancratia*, ad *Surcum* vero *Geoffream spinosam* observavimus; et *Limam* reversi CCC. plantarum species exsiccatas, et CCXLII. earum imagines vivis coloribus expressas in navim *el Buen Consejo* in Hispaniam deferendas imposuimus.

Mox ad *Tarmam* iter fecimus, Provinciae ejusdem nominis Urbem praecipuam, ad radices montium sitam, et in confinio Indorum nondum subactorum. Interea Dombeyus ad *Cheuchinum*, Pavonius cum Pictore Brunete ad Arcem *Palcae* discedentes non pauca inde reportarunt. Montana, et praerupta *Tarmae*, et *Xauxae* loca non sine capitis periculo exploravimus, ubi plurimas, pulcherimasque *Orchideas*, *Laurum Indicum*, Cinamomi odorem spirantem, et pro vero Cinamomo perperam ab aliquibus traditam, aliasque novas *Lauri*, et *Cinchonae* species collegimus copiosissimo salutaris corticis proventu, cujus collectionem, et mercaturam paucis abhinc annis Incolae exercent. *Limam* rediimus, semina in Hortum Martitensem, ut saepius alias, misimus, et reliquas naturae gazas in ordinem digestas capsis inclusimus.

His peractis *Huanucum*, Urbem non incelebrem, quae sexaginta fere leucis *Lima* abest, adiimus; vicinam, et amoenissimam vallem pluribus annibus, qui in fluvium *Pilco* conflunt, irriguam, et dissitorum Oppidorum *Chinchai*, et *Cucheri* silvas peragravimus, Indorum nondum subactorum maleficiis infestas; quibus maleficiis pene oppressi sumus, totamque eam Provinciam imperterriti percurrimus, et septem *Cinchonae* speciebus inter alia observata detectis, *Limam* cum sarcinis remigravimus.

Cum plura nobis dubia circa plantarum nonnullarum determinationem suborirentur; ea de causa *Chancay* Provinciam bimestri itinere revisendam opportunum duximus, Dombeyus autem *Limae* interea permansit.

Limam reduces, et Dombeyo rursus sociati Regni Chilensis plantas investigare statuimus, quarum nonnullae a Clar. Feuillée, qua ratione illa tempora ferebant, descriptae, et delineatae easdem in locis natalibus inspiciendi, et ceteras cognoscendi flagrantissimum in nobis desiderium excitaverant. *Talcaguanum* igitur Portum apulimus: *Conceptionis*, *Itatae*, *Rere*, *Araucanorum tractus*, *Puchacay*, *Maule*, *S. Ferdinandi*, *Rancaguae*, *Santiago*, *Quillotae* Provincias, *Andiumque* partem lustravimus, nota Plantarum Genera, et Species reformavimus, nova descripsimus, *Pinum Chilensem*, infiniti propemodum usus, inter alia deteximus, et rariorum seminum, vegetabilium exsiccatorum, pretiosorum lignorum speciminum, de-

scriptionum, iconum, avium, piscium, quadrupedum, conchyliorum, insectorum, et fossilium spolia *Limam* reportavimus.

Sed ea omnia bienni spatio, et laboribus, ingentique sumptu collecta, et LIII. capsis una cum explorationum *Tarmae*, *Huanuci*, et *Chancay* thesauris asservata puncto temporis (horret animus reminisci!) navis *D. Petri de Alcantara* naufragio, quae ad scopulos *Peniche* in Lusitania oras postridie Kalendas Februarii anni MDCCCLXXXVI. allisa est, miserando naufragio perierunt; et nisi D. O. M. Dombeyum incolumem servasset, qui non sine mutuo animorum dolore discedens, eodem fere tempore, quo haec calamitas accidit, Gades in navî *el Peruano* pervenit, et prout ab Expeditionis initio praestabilitum fuerat, plantas, quas multiplici numero eo consilio exsiccarat, communicasset; jacturam stirpium Chilensium penitus irreparabilem adhuc deploraremus.

Interea veluti memoratae calamitatis praesagi *Huanucum* repetimus, et varios Provinciae tractus denuo peragrantes, plantas in eis provenientes iterum atque iterum recognovimus, descripsimus, delineavimus, et in praedicta Urbe custodire jussimus.

Inde *Puzuzum* usque, et flumen *Huancabambam*, quod XLVII. leucas a *Huanuco* abest, et Hispanorum Indorumque barbarorum tractus disternit, penetravimus; ubi trium mensium spatio *Smilaces Chinam* et *Sarsaparrillam* offendimus; *Verticillarium*, ex qua *Balsamum Mariae* profluit, *Myroxylon peruiferum Linnaei Supp.*, quod *Tolutanum Balsamum* profert, *Cedrellas*, *Swietenias*, *Bombaces*, *Strychnos*, *Epidendra*, *Vanillam*, *Crotonem*, ex qua *resina Draco* emanat, *Clarisiam Yasmich* dictam, *Piperis*, *Lauri*, *Costi*, *Amomi*, *Palmarum*, *Myristicae*, et plantarum tincturae inservientium aliarumque species CCCC. circiter descripsimus, CCL. antea descriptas correximus, CCC. fere delineandas curavimus, et tribus mensibus in ea exploratione consumptis, *Huanucum* regressi sumus.

Non longe ab *Huanuco* fundus exstat *Macora*, ad quod per bimestre cum Joanne Tafalla et Francisco Pulgar, quos discipulos et laborum socios nobis adjungendos Rex praeceperat, alterum ad Botanicen, alterum ad picturam, divertimus; cujus fundi vicinia *Cinchonae*, *Godoyae*, *Melastomae*, *Psychotriae* et *Coffeae* speciebus, *Dorstenia Contrayerba*, *Erythroxylo Coca*, *Jatropha Manihot*, aliisque haud negligendis stirpibus abundat, quarum uberem messem

collegeramus, cum inopinato accidit postridie Non. Augusti anno MDCCLXXXV. miserandum incendium, quo consumptae sunt stirpium, animalium, et mineralium Chilensium descriptiones, utriusque Regni Provinciarum historiae topographicae, librorum, plantarum, avium, quadrupedum, insectorum exsiccatorum, et seminum copia cum commeatibus et cibariis, quae ad nos per trimestre sustentandos fuerant comparata.

Adeo ingenti calamitate accepta, per triduum *non aliter* stupuimus, *quam qui Jovis ignibus ictus vivit, et est vitae nescius ipse suae*: sed Deum venerati *Huanucum* alacri tandem animo pedibus regressi sumus, atque periculosam in *Munnae* montes explorationem aggredimur. *Huanucum* autem redeuntes LXXIII. rerum naturalium capsas, plantarum vegetantium vasa XVIII., et DLXXXVI. icones per naves *el Pilar*, et *el Brillante* in Hispaniam ex *Callao* transmitendas curamus.

Annus agebatur MDCCLXXXVII. cum Josephi Brunete, alterius pictoris, improvisa *Pasci*, quo stipendii omnium nostrum recipiendi causa contenderat, acerba mors et humanitatis suae, et dexteritatis desiderium nobis reliquit. *Pillaum*, ubi *Cinchonam tenuem* deteximus, adiimus, et *Chacahuassim*, in quo tractu praeter *Cinchonam officinalem* in *Cuchero* et *Munnae* montibus antea observatam, *purpuream* offendimus, et *Azahar*, prius etiam ad *Chinchium*, *Puzuzum*, et *Cucherum* descriptas.

Limam reduces, Kalendis Aprilis anni MDCCLXXXVIII. cum MSS., XXIX. capsis, et CXXIV. plantis in vasis consitis navim *el Dragon*, Tafalla et Pulgar discipulis et successoribus amicissime vale dicto, conscendimus, et post quinque et amplius mensium navigationem Gades tandem pridie Idus Septembris appulimus.

Jam vero quot quantaque aerumnarum, et periculorum genera undecim annorum spatio, quibus per invias et desertas regiones peregrinati sumus, subierimus, aestum, lassitudinem, famem, sitim, nuditatem, omnium rerum egestatem, procellas, terrae motus, culicum, aliorumque insectorum molestias, tigrium, ursorum, ceterarumque belluarum maleficia, latronum et Indorum ethnicorum insidias, servorum ipsorum machinationes, praecipites ex locis montium praeruptis, et ex procerissimis arboribus casus, fluminum et torrentium trajectiones, *Macorae* incendium, navis *Alcantarensis*

naufragium , Dombeyi socii discessum , Bruneti pictoris obitum , et quod caput est , MSS. jacturam ; ii tantum recte perpendent , qui hujusmodi , aut non absimiles peregrinationes susceperint , atque expleverint .

Ceterum nos jam post optatissimum in patriam reditum recordatio ipsa laborum et periculorum solabatur , ex quibus maximum fructum brevi capturos , *Florae scilicet Peruvianae et Chilensis* evulgationem sperabamus ; quam spem mirifice confirmabat singularis humanitas , qua excepti fueramus ab Ex.^{mo} D. Antonio Porlier , qui Sonorae Marchioni , vita jam functo , in Indiarum Ministerio successerat , et Hispanae gentis laudis , et scientiarum incrementi non minus , quam ille , studiosus ad Regem benignissime retulit , et quaecumque ad MSS. editionem opus essent , diligenter apparanda persuasit . Sed cum immensis sumptibus Regium aerarium aegre sufficere posse animadverteret ; encyclicam epistolam , auctore usus D. Francisco Cerdano et Rico , Americes principibus viris , Municipiis , et Societatibus in hanc fere sententiam scripsit .

„ Inter praecipuas curas , quas CAROLUS III. Rex semper
„ Augustus impendit , ut populis ejus Imperio subjectis , quam maximum splendorem et prosperitatem conciliaret , potissimum locum
„ in Regio animo sibi vindicavit fructuosarum Artium et Scientiarum patrocini-
„ um , quae illo regnante et munifice easdem promoven-
„ te adeo magna incrementa per omnes ditionis suae tractus suscep-
„ erunt .

„ Quoniam autem utriusque Americes , Insularumque Philippicarum Provinciae ob caeli et soli temperiem et benignitatem tot
„ opes e tribus naturae regnis explorandas suppeditabant ad Botanicas et Historiae Naturalis scientiam amplificandam (quo in argu-
„ mento jam a primis detecti Novi Orbis temporibus Hispani versati fuerant exteris scriptoribus valde antecellentes , ut ex eorum
„ operibus cum editis , tum manuscriptis luculenter apparet) ; sapienter statuit idem Rex Carolus , illas in publicum usum convertendas , ubi primum per alia graviora liceret negotia : adeoque itinera
„ Botanica institui jussit in Peruviam , in Novam Hispaniam , in Novum Regnum Granatense , atque in Insulas Philippicas , nullis sumptibus parcens (qui quidem haud parvi momenti facti sunt ,
„ et adhuc fiunt) tam ad apprime peritos Botanices Professores ,

„ Pictorèsq̃ue exploratae dexteritatis honestis stipendiis sustinendos ,
„ quam ad rariores naturae thesauros comparandos , et in Hispaniam
„ transferendos .

„ Neque fortuna rectis tanti Principis consiliis defuit , siquidem
„ ex Peruana Expeditione innumerae opes congestae sunt , et stu-
„ penda naturae corpora detecta . Expeditio vero Novi Regni Gra-
„ natensis , cui praefectus est doctissimus vir D. Josephus Caelesti-
„ nus Mutis , in utroque Orbe ob eximiam harum rerum peritiam
„ quam notissimus , nobis spem affert operis magnifici , et numeris
„ omnibus absoluti , jam brevi ad umbilicum perducendi . Ast No-
„ vae Hispaniae Botanicorum diligentia fiet , ut iconum jactura re-
„ paretur , quae Regiae Escorialensis Bibliothecae incendiò , saecu-
„ lo proxime elapso , absumptae sunt , et olim adumbrandas cura-
„ verat percelebris PHILIPPI II. Archiater , Franciscus Hernandus ,
„ ad suae Mexicanæ Naturalis Historiae illustrationem , cujus ope-
„ rum tria volumina nuper Matriti prodierunt , et duo reliqua pro-
„ pediem edentur .

„ Praeterea in Insulis Philippicis Joannis Cuellaris , Botanici Re-
„ gii , singularis industriae fructum percipere jam coepimus ; plurimum
„ denique reipublicae studiosorum virorum opera et diligentia (inter
„ quos singularem laudem Santafedanus Archiepiscopus meretur)
„ ingentem detectorum copiam comparatam possidemus . Atque hic
„ status est , ea sunt incrementa , quae immortalis CAROLI III.
„ auspiciis Botanices Scientia apud Hispanos evecta fuit .

„ Jam vero CAROLUS IV. clementissimus Rex , non minus
„ Augusti Parentis illustrium virtutum , et effusi erga Artes Scien-
„ tiasque patrocinii , quam Regnorum heres , ubi regni habenas ad
„ gentium sibi subditarum felicitatem suscepit ; inter gravissimas
„ curas hanc sibi praesertim suscipiendam censuit , ut Expeditiones
„ Botanicas foveret , et liberaliter amplificaret . Cum autem pretio-
„ sas adeo collectiones , et utilia detecta , quae Hispanorum immen-
„ sis propemodum laboribus debentur , quam citius et concinnius
„ fieri posset , evulgari ad Hispanae gentis laudem , et in litterariae
„ Reipublicae emolumentum vehementer studeret ; opportuna con-
„ silia pro tempore , et pro re cepit . Sed quoniam de Opere adeo
„ amplo agitur , ut sumptibus , quos ad ejus editionem et ad plan-
„ tarum figuras aeri incidendas nativisque coloribus adumbrandas

„ impendi necessum est, regium aerarium vix sufficiat ob ingentem
„ pecuniae vim, quam postremis Caroli III., et quae ejus obitum
„ consecuta sunt, temporibus ad hispani nominis decus, ad imperii
„ integritatem, necnon ad Americanorum tranquillitatem, et inco-
„ lumitatem adversus hostes asserendam absumere oportuit; his de
„ causis eorundem generosis animis Rex confusus, liberalitatisque, qua
„ regios conatus semper secundarunt, perpendens etiam edendum Opus
„ thesaurum continere mirabilium naturae corporum istarum Orbis
„ regionum indigenorum ante tria haec postrema saecula ignotarum,
„ nunc vero non parum invidiosarum, ejusque evulgationem in ho-
„ norem praesertim suorum Incolarum redundaturam; R. admodum
„ Archiepiscopis, R. Episcopis, V. Diaconis, Proregibus, Consi-
„ liis tam Ecclesiasticis, quam Saecularibus, et Academiis significari
„ decrevit, sibi gratissimum fore quaecumque munus sponte et ci-
„ tra ullam molestiam ad memorati Operis editionem contulissent, .

Accepta epistola, eorum, ad quos scripta est, animi adeo Regis
votis suffragandi honestissima cupidine exarserunt, ut plusquam quin-
quaginta ducatorum millia in Florae sumptus confestim miserint,
quibus profecto ob egregiam liberalitatem Rex optimus gratias suo
nomine honorificentissimas agi imperavit, nosque etiam, quas pos-
sumus, amplissimas agimus, atque eos tam laudabili exemplo, in-
gentique beneficio omnes non modo Americes, sed etiam Hispa-
niae, et universi terrarum orbis incolas sibi obstrinxisse, publice,
ac lubenter profitemur.

Nunc vero de hujus primi Voluminis, et eorum, quae subse-
quentur, ratione pauca adjiciamus. Cum nonnulla Genera nova,
pluraque, licet jam nota, ex autopsia tamen emendata, et reformata
habeamus; Specierum descriptiones circiter MMCCCC. numerum
exaequent, Icones autem MDCCC.; novorum Generum Volumen,
veluti totius Operis prodromum, praemittendum e re duximus. Et
quamvis vereri interdum subeat, ne aliqua e Generibus, quae tan-
quam nova exhibemus, fortasse jam praeter nostram opinionem ab
aliis Scriptoribus evulgata fuerint (quod nos plane ignorasse miran-
dum non est, praesertim saeviente hoc exitioso, et pene universali
bello, atque librorum ceterarumque rerum commercium intercipien-
te); praeterquamquod ea nos primi in locis natalibus deteximus et
descripsimus, pleraque ex eorundem quidem numero, quae in Eu-

ropam reduces edita offendimus, vel ex mancis descriptionibus mutuata, et iconibus destituta, vel ex plantarum in Hortis Europaeis propagatarum seminibus atque adeo degenerum, aut ex siccorum speciminum inspectione desumpta fuisse deprehendimus. Unde etiam accidit, Species notorum Generum pro novis Generibus venditatas, atque adeo falsa Genera constituta, ut alios sileamus, ab Aubletio, et qui ejus vestigia presserunt.

Quamobrem ne latius vitium serpat, characteres novorum Plantarum Peruvianarum, et Chilensium Generum modo emittimus.

Neque dissimulandum est, nos quoque nonnullorum Generum, quae profecto X. numerum non excedunt, fructificationis partium figuras ex Plantarum speciminibus siccis delineare coactos fuisse ob navis *Alcantarensis* jacturam: sed integerrimis speciminibus usi sumus, et autographis descriptionibus, quae penes nos erant, stirpium a nobismet ipsis in locis natalibus saepius observatarum.

Characteribus autem naturalibus singulorum Generum *characterem factitium* subjecimus, quem quidem *differentialem* appellare maluimus. Eum Linnaeus fil. in *Suppl. Plantarum* duas aut plures ideas includentem primus cum *essentiali* (venia sit verbo) confudit, cui posteriores nonnulli assensere: sed *essentialis character* ex Linnaei patris definitione *notam Generis, cui applicatur, propriissimam et singularem subministrat, atque adeo unica idea distinguit Genus a Congeneribus sub eodem Ordine naturali: factitius vero character*, ut recte animadvertit clar. praeceptor noster Casimirus Gomez Ortega in doctissimis *Annotationibus* ad ill. Linnaei *Philosophiam Botanicam* ejus studio et impensa recusam Matriti anno MDCCXCII. *arte Systematicorum fit ex comparatione characteris naturalis omnium Generum ejusdem Ordinis artificialis.*

Ad novorum Generum nomenclaturam quod attinet, non deerunt fortasse qui nostram plantarum illustribus tam exteris, quam Hispanis Botanicis, aut Botanicis Promotoribus nuncupandarum rationem vehementer improbabant: sed ii erunt ferme, qui nesciant, hoc jus ipsius rei natura, atque etiam summorum omnium aetatum Botanicorum exemplo, gravissima Linnaei auctoritate in *Philosophia Botanica, Can. 237. et 238.* comprobato novorum Generum Inventoribus, aut Editoribus fuisse adtributum; aut qui cum laudanda ipsi hucusque non fecerint, ceterorum virtuti, et laudibus invi-

deant. Nos certe in hoc obsequii genere praestando nullo partium studio adducti sumus: Botanicorum, et Promotorum merita, quorum non adeo exiguus numerus in Hispania nostra viget, tantummodo consulimus. Si quis tamen se immerito, citra nostram voluntatem, praetermissum doluerit, ei in reliquorum Generum, quae a Discipulis per Peruviam peregrinantibus ad nos assidue mittuntur, evulgatione satisfaciemus. Interea siqua clarorum virorum nomina in Generum denominatione antea praeter nostram notitiam ab aliis occupata usurpaverimus; eos rogatos volumus, studiosam voluntatem aestiment, et ea Genera aliorum benemeritorum obsequio in posterum consecranda reservent.

Generum praeterea, quae unica specie constant, nominibus Botanicis nomen vernaculum, si quod in natali regione ex incolis accepimus, in versione hispanica adjicere placuit; quod etiam praestitimus, quoties nomen vernaculum notis ejusdem Generis Speciebus commune esse compertum nobis fuit.

Jam vero in secundo, et quae proxime sequuntur, Voluminibus, primum novorum Generum Species, deinde reliquas partim etiam novas, partim melius observatas describemus, plerasque Iconibus illustrabimus, et plantarum loca natalia, florendi tempus, proprietates, vires, usus, ceteraque ad singularum plantarum historiam spectantia trademus.

Fortasse etiam Genera Americana bene multa, ad CCXL. scilicet, emendata in unum, aut plura Volumina seorsim conjiciemus, quae sane ad incudem revocantes ex vegetabilium viventium sedula inspectione reformavimus, ut eorum characteres assereremus, ne nova falsa Genera ex nonnullis Speciebus inter se per anomalias variantibus in posterum constituentur, et plures diversorum Generum plantarum Species ni eadem Genera accumulentur, quod a Rheedio, Rhumphio, Plumiero, et ab ipso Linnaeo factitatum fuisse animadvertimus, qui nonnullas Species non satis accurate observandi occasione potiti sunt, quam contra nos maxime idoneam habuisse vehementer laetamur, ob caeli et soli Peruviani, prout superius innuimus, clementiam et feracitatem.

In his omnibus Linnaei systema sexuale mordicus retinuimus, non modo quod nostra aetate apud omnes fere Botanicos invaluerit, sed potius quoniam majori diligentia, quam aliae methodi, elaboratum,

et ad plantas internoscendas, quod rei caput est, opportunius sit, et copiosiori earum numero affluens.

Ad extremum, si quid emolumenti ex Peruvianae et Chilensis Expeditionis laboribus in Botanicen profiscetur,* et scripta haec doctis aequisque viris probata erant,** tunc sane clementissimorum Regum CAROLI III. et IV. erga universos homines benefica mandata exsequendi, et praeclaris, cordatisque Botanicis placendi conatuum nostrorum satis amplos fructus nos cepisse arbitramur.

* Forte profiscetur.

** Forte erunt.

NOVA PLANTARUM GENERA

CLASSIS. I. ORDO I. MONANDRIA MONOGYNIA.

ACOSTA (*CAIMITO DE MONTE*
scu *Caimitus montana*).

CALYX: *Perianthium* tubulatum, inferum, deciduum, subbilabiatum, quinquefidum: *laciniis* ovatis, acutis, dextrorsum contortis, concavis; quarum ex tribus superioribus *intermedia* brevior, *duae inferiores* superioribus breviores, altera paulo minori.

COROLLA infundibuliformis, medio tubi calycis inserta, lateraliter usque ad basim fissa. *Tubus* brevis. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* ovatis, reflexo-patentibus.

Nectarium minimum, conico-carinatum, basi trium laciniarum inferiorum corollae adnatum.

STAMEN: *Filamentum* nullum. *Anthera* sessilis, octo-undulata, per marginem superiorem nectarii decurrens.

PISTILLUM: *Germen* subrotundum. *Stylus* subulatus, curvatus, longitudine nectarii. *Stigma* simplex, nectario obtectum.

PERICARPIUM: *Pomum* globosum, obsolete angulatum, quinqueloculare. **SEMINA** solitaria, oblonga, nitida.

CHARACTER DIFFERENTIALIS:

Calyx subbilabiatus, contortus. *Nectarium* conico-carinatum, antheriferum. *Anthera* undulata. *Pomum* quinqueloculare.

OBSERVATIO. *Anthera* undulata, ut in Cucurbitaceis.

Species unica. Frutex sarmentosus.

Genus nuncupatum per celebri *Josepho Acostae*, Societatis Jesu, qui plura de plantis Peruviae suae Indiarum Historiae naturali, et morali inseruit.

EXPLICATIO ICONIS I. ACOSTA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx* lateraliter visus. 3. *Corolla*. 4. *Corolla* tubo calycis per medium dissecti inserta. 5. *Pars* calycis superior secta. 6. *Pars* calycis inferior secta cum stylo, et tubo corollae naturaliter ab apice ad basim fisso, terminato nectario, et anthera octo-undulata. 7. *Pars* calycis inferior cum stylo, et tubo corollae antice viso, terminato nectario, et anthera. 8. *Nectarium* cum anthera per marginem decurrente antice visum. 9. *Pistillum* intra calycem transversim sectum. 10. *Pistillum*. 11. *Pomum*. 12. *Pomum* per medium sectum, semina demonstrans. 13. *Semen*.

DIGYNIA.

I A R A V A. (ICHU)

CAL. *Gluma* uniflora, bivalvis: *valvulis* erectis, lineari-subulatis, canaliculatis, inaequalibus, scariosis, pellucidis, persistentibus.

COR. *Gluma* univalvis, convoluta, apice pilosa, pappiformis calycinis *valvulis* minor, terminata arista calyce duplo longiori, inferne tortili.

STAM. *Filamentum* unicum, capillare, longitudine stigmatum. *Anthera* oblonga, utrinque furcata.

PIST. *Germen* oblongum, minimum. *Styli* duo, brevissimi. *Stigmata* plumosa, altero paullo longiore.

PER. *Gluma* corollae semen involvens.

SEM. unicum, oblongum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx: *Gluma* uniflora, bivalvis. *Corolla*: *Gluma* univalvis, papposa, aristata. Species unica ex Gramineis.

Genus nuncupatum *Joanni Jaravae* nobili Medico, et Philosopho, qui suam *stirpium Historiam, e Dioscoride, aliisque excerptam*, Hispanice divulgavit Antuerpiae anno 1557. in 8.

EXPLIC. ICONIS I. IARAVA.

1. *Flos* integer auctus. 2. *Calyx* auctus. 3. *Flos* a calyce liber, auctus. 4. *Corolla* quadruplo auctior. 5. *Stamen* auctum. 6. *Pistillum* auctum. 7. *Corolla* semen involvens. 8. *Semen*.

CLAS. II. ORD. I. DIANDRIA MONOGYNIA.

COLUMELLIA.

CAL. *Perianthium* quinquepartitum: *laciniis* oblongo-lanceolatis, divaricatis, patentibus; superum, persistens.

COR. rotata. *Tubus* vix ullus. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* subrotundis, aequalibus, marginibus incumbentibus.

STAM. *Filamenta* duo, filiformia, erecta, corolla breviora, corollae basi inserta. *Antherae* magnae, reniformes, plicatae.

PIST. *Germen* inferum, obovatum, quinqueangulare, truncatum. *Stylus* cylindricus, declinatus, longitudine staminum. *Stigma* capitato-reniforme, antheris triplo minus.

PER. *Capsula* obovata, truncata, subpentagona, didyma, bilocularis, bivalvis: *valvulis* bifidis, duplicatis; *interioribus* callosis; *exterioribus* corticosis.

SEM. plurima, parva, ovata, scabra, *Receptaculo* oblongo utrinque affixa.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx quinquepartitus: *Corolla* rotata. *Antherae* reniformes, plicatae. *Capsula* didyma: *valvulis* duplicatis.

Species duae. Arbor, et Frutex.

Genus dicatum *Junio Moderato Columellae*, veteri Hispano, qui inter Patres Botanices a Linnaeo recensetur, et eleganter *de Re Rustica et Hortensi* vorsa, et prosa oratione scripsit.

EXPLIC. ICONIS I. COLUMELLIA.

1. *Flos* integer postice visus. 2. *Calyx* antice visus. 3. *Corolla* antice cum staminibus visa. 4. *Stamina*. 5. *Pistillum*. 6. *Capsula* calyce coronata. 7. *Capsula* naturaliter aperta. 8. *Capsula* clausa, a *valvulis* extrerioribus, et calyce libera. 9. *Valvulae* interiores antice visae. 10. *Semina*. 11. *Receptaculum* cum duobus seminibus ipsi affixis.

SARMIENTA.

CAL. *Perianthium* quinquepartitum: *laciniis* quatuor, subulatis; altera emarginata, latiore; inferum, persistens.

COR. urceolata. *Tubus* oblongo-obovatus, ventricosus, basi angustissimus. *Faux* coarctata. *Limbus* quinquefidus: *laciniis* obovatis, aequalibus, patentibus.

STAM. *Filamenta* duo, exserta, fauci corollae affixa, filiformia. *Antherae* ovatae, biloculares. *Rudimenta* tria inclusa, subulata, fauci inserta: *tertio*, inter *stamina*, minori.

PIST. *Germen* ovatum, subpentagonum. *Stylus* subulatus, longitudine staminum, persistens. *Stigma* simplex.

PER. *Capsula* ovata, unilocularis, circumscissa.

SEM. plurima, obovata, *Receptaculo* carnoso inserta.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla urceolata. *Rudimenta* staminum tria, *tertio* breviori. *Capsula* unilocularis, circumscissa.

OBSERVATIO. Hoc genus staminibus *Schwenckiae* affine.

Species unica. Herbacea.

Genus dicatum *Martino Sarmiento*, ex Benedictinorum Familia, Philologo insigni, in Matheseos, Botanices, et universae Naturalis Historiae studiis versatissimo.

SANCHEZIA.

CAL. *Perianthium* quinquepartitum : *laciniis* erectis , obovato-spathulatis , superne concavis , emarginatis ; *interioribus duabus* angustioribus : marcescens , persistens .

COR. tubulosa , irregularis . *Tubus* calyce triplo longior , curvatus , inferne sensim angustatus , superne gibbus , collo coarctato . *Limbus* quinquepartitus : *laciniis* ovatis , emarginatis , revolutis ; *superioribus duabus* paullo brevioribus .

Nectarium : *Annulus* decemstriatus , brevis sub germine .

STAM. *Filamenta* duo , filiformia , compressa , villosa , exserta , supra basim corollae inserta . *Antherae* incumbentes , ovatae , didymae , inferne bifidae , utraque extremitate calcare brevi antice incurvato , appendiculatae , villosae .

Rudimenta filamentorum duo , subulata , staminibus triplo breviora .

PIST. *Germen* oblongum , superum . *Stylus* filiformis , staminibus longior . *Stigma* bifidum : *laciniis* inaequalibus , subulatis .

PER. *Capsula* oblonga , acuminata , bilocularis , bivalvis .

SEM. nonnulla , orbiculata , plana .

CHARACTER DIFFERENTIALIS .

Corolla tubulosa , quinquefida , irregularis . *Filamentorum Rudimenta* duo : *Antherae* basi bifidae , calcaratae .

Species duae . *Herbae* .

Genus nuncupatum *Josepho Sanchez* , praeclaro in R. Matritensi Horto Botanico olim auditori , postea in R. Chirurgorum Collegio Gaditano Botanices Professori dignissimo , cuius acerba mors paucis abhinc mensibus triste nobis suavissimorum morum , et eximiae doctrinae suae desiderium reliquit .

EXPLIC. ICONIS XXXII. SANCHEZIA.

1. *Flos* integer . 2. *Calyx* . 3. *Corolla* . 4. *Stamina* , et *Rudimenta* tubo corollae inserta .
5. *Pistillum* annulo insidens . 6. *Annulus* . 7. *Capsula* . 8. *Capsula* transverse secta .
9. *Semina* .

SCHIZANTHUS.

CAL. *Perianthium* quinquepartitum : *laciniis* oblongo-linearibus ; inferum , persistens .

COR. irregularis . *Tubus* compressus , longitudine calycis . *Limbus* bilabiatus : *labium superius* quinquepartitum : *laciniis quatuor* ,

lateralibus bifidis; *intermedia* majori, lanceolata, integerrima: *labium inferius* tripartitum; *laciniis lateralibus* linearibus, falcatis; *intermedia* carinata, truncata.

STAM. *Filamenta* duo labio inferiori inserta, filiformia. *Antherae* ovatae.

Rudimenta duo, labio superiori affixa.

PIST. *Germen* oblongum. *Stylus* subulatus, longitudine staminum. *Stigma* simplex.

PER. *Capsula* oblonga, bilocularis, bivalvis.

SEM. plura, subreniformia, aspera.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla irregularis: labio superiori quinquepartito; inferiori tripartito. *Rudimenta* duorum filamentorum. *Capsula* bilocularis.

Species unica. Herbacea.

Genus *Schizanthus* a *Corollae* laciniosae figura nominatum.

MARGYRICARPUS (^{PERLITA} seu *Parva Margarita*).

CAL. *Perianthium* 4-5 partitum: *laciniis* ovatis; superum, persistens.

COR. nulla.

STAM. *Filamenta* duo, filiformia, erecta, longitudine calycis. *Antherae* oblongae, biloculares.

PIST. *Germen* ovatum, compressum, inferum. *Stylus* filiformis, erectus, longitudine staminum. *Stigma* peltatum.

PER. *Drupa* subrotunda, unilocularis, monosperma.

SEM. *Nux* ovata, compressa, unilocularis. *Nucleus* ejusdem figurae.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx 4-5 partitus. *Corolla* nulla. *Drupa*.

OBSERVATIO. Genus *Acaenae* valde affine.

Species unica. Suffrutex.

Genus a Fructus forma, et colore margaritis admodum simili nominatum.

EXPLIC. ICONIS XXXIII. MARGYRICARPUS.

1. *Flos* integer. 2. *Calycis* *Lacinae*. 3. *Stamina*. 4. *Pistillum*. 5. *Drupa*. 6. *Nux*. 7. *Nucleus*.

PEPEROMIA (CONGONA).

CAL. *Spatha* minima, ovata, caduca. *Spadix* cylindricus, amen-
tiformis, flosculis sessilibus dense tectus. *Squamae* nullae, ni-
si prominentia minima sub singulis flosculis.

PER. nullum.

COR. nulla.

STAM. *Filamenta* duo, filiformia, erecta, infra germen inserta,
eoque longiora. *Antherae* subrotundae.

PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* nullus. *Stigma*: punctum minimum,
non exsertum.

PER. *Bacca* sicca monosperma.

SEM. ovatum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx nullus. *Corolla* nulla. *Stigma*: punctum in apice germinis.

OBSERVATIO. I. In *Peperomia* secundiflora, *Stigma* bipunctatum. In *Pepero-*
mia emarginata, et variegata, *Stigma* acuminatum.

II. Differt hoc genus a *Pipere* Linn.: *Spathis* ovatis, minimis: *Prominen-*
tia minima sub flosculis singulis: *Staminibus* germine longioribus:
Stygmate puncto unico minimo, vel macula.

III. Omnes hujus generis species herbaceae, carnosae, plus, minusve
fragrantes. *Caules* enodes, non dichotomi, erecti, vel scandentes, aut
repentes. *Folia* integerrima. *Spadices* axillares, vel terminales, sive ad
basim foliorum, aut in scapo; solitarii, vel gemini, sive aggregati,
aut paniculati. *Color ruber* in omnibus fere speciebus frequens. Post
exsiccationem roseo colore papyrus tingunt.

IV. In tredecim speciebus nostrae Florae *Piperum*, quae cum Genere
Piperis Linn. conveniunt, *Spathae* sunt magnae, lanceolatae: *Flosculi*
squamis singulis suffulti; *Stamina* brevissima; *Stigmata* tria exserta,
hirsuta. Plantae frutescentes, exsuccae, et aromaticae. *Caules* geni-
culati, dichotomi, fragiles. *Gemmae* subulatae, foliis oppositae. *Folia*
alterna, e geniculis prodeuntia. *Spadices*, solitarii, foliis oppositi. In
P. reniformi singuli pedunculi viginti fere *Spadices* proferunt.

Species viginti. Herbaceae.

Genus dictum a similitudine *Piperis*.

EXPLIC. ICONIS II. PEPEROMIA.

1. *Spadix*. 2. Alter *Spadix* alterius speciei, flosculis auctis. 3. *Flosculus* integer.
4. *Stamina*. 5. *Pistillum*. 6. *Bacca*. 7. *Bacca* per medium secta. 8. *Semen*.

CLAS. III. ORD. I. TRIANDRIA MONOGYNIA:

HETERANTHERA.

- CAL. *Spatha* univalvis, oblonga acuminata, striata, longitudinaliter dehiscens, subquadriflora, persistens.
- COR. tubulosa, infera. *Tubus* gibbus, superne angustatus. *Faux* coarctata. *Limbus* sexpartitus: *laciniis* lanceolatis; *exterioribus* tribus angustioribus, acutioribus, patentibus; *tribus interioribus* latioribus, erectis.
- STAM. *Filamenta* tria, subulata; horum *duo* breviora, basi lacinarum, interiorum inserta; quorum *Antherae* subrotundae, emarginatae. *Filamentum* tertium basi alteri lacinae exterioris insertum; cujus *Anthera* sagittata, reliquis major.
- PIST. *Germen* superum, ovatum, acuminatum, triquetrum. *Stylus* filiformis, declinatus, superne hirsutus. *Stigma* simplex, emarginatum.
- PER. *Capsula* ovata, subpyramidalis, triquetra, acuta, trilocularis, trivalvis.
- SEM. plurima, minima, ovata, sulcata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla sexfida, inaequalis. *Antherae* difformes.

Capsula trilocularis.

Species unica. Herba aquatica.

Genus dictum ab antheris difformibus.

EXPLIC. ICONIS II. HETERANTHERA.

1. *Spatha* erecta flores continens. 2. *Spatha* marcida patens, et flores in receptaculo. 3. *Corolla* antice visa staminibus, et pistillo instructa. 4. *Corolla* erecta cum staminibus, et pistillo. 5. *Stamen* tertium. 6. *Stamina* breviora. 7. *Pistillum*. 8. *Capsulae* in receptaculo, corollis marcidis inclusae. 9. *Capsula* corolla marcida involuta. 10. *Capsula* libera. 11. *Capsula* per medium secta, tria loculamenta demonstrans. 12. *Capsula* longitudinaliter scissa. 13. *Semina*.

HIRTELLA.

- CAL. *Perianthium* pentaphyllum: *foliolis* ovatis, concavis; inferum persistens.
- COR. *Petala* quinque, obovata, emarginata.
- Nectarium*: Annulus brevis, germen ambiens.

STAM. *Filamenta* tria, subulata, patentia, petalis longiora, margine nectarii insidentia. *Antherae* subrotundae, bifidae.

Rudimenta filamentorum duo brevissima, margine nectarii inserta.

PIST. *Germen* obovatum, hirsutum. *Stylus* subulatus, longitudine staminum, e basi germinis ortus, hirsutus. *Stigma* capitatum.

PER. *Drupa?* cuneiformis, subplicata, unilocularis, monosperma.

SEM. Solitarium, obovatum, acuminatum, uncinatum.

OBSERVATIO. Pericarpium nondum maturum offendimus, atque adeo speciem hanc, quae *Frutex* est, non licuit satis definire.

EXPLIC. ICONIS II. HIRTELLA.

1. *Flos* integer. 2. *Calix* cum nectario, staminibus, et pistillo. 3. *Petala*. 4. *Receptaculum* floris cum staminibus, et disco nectarifero. 5. *Pistillum*. 6. *Pericarpium*. 7. *Pericarpium* per medium sectum. 8. *Semen* (*).

(*) Plantam hanc, quae tametsi *Novum Genus* constituere, non quidem absque magno fundamento, hujus *Florae* auctoribus prius erat visa, quaeque merito ab iisdem in cl. viri D. Cosmae Bueno Medicinae Doct. Limensis, Regnique Peruviani Cosmographi, ac Historiographi obsequium sub COSMIBUENA nomine fuerat appellata; postea tamen quam ex Typis Matritensibus eorum *Prodromus* est editus, ipsimet auctores ad HIRTELLAE Genus referri debere noverunt, ac in Resp. ad cl. Cavanillesii impugnationes eorum alter Ruizius indicavit. A prima opinione se recessisse fatentur, propter Florum maxime similitudinem atque figuram in Jacquinii American. Tab. 8. etsi incompleta, coloribus expressam. Ne obstaré quidem videntur nonnullae, quae inter utramque HIRTELLAM diversitates agnoscí possunt; scilicet, quod praed. cl. Botanicus suam HIRTELLAM inter *Pentandras*, quatenus ei quinque *Stamina* perfecta tribuebat, collocavit; quum e contrario auctores nostri alteram hanc speciem inter *Triandras*, dum tria dumtaxat *Stamina* in ea observaverint, statuendam judicaverint.

Quum igitur nostri AA. eorum COSMIBUENAM veram esse HIRTELLAM censuerint; Nos etiam eorum praeconceptae opinionis dissensione permoti, in novo nostrae editionis *Prodromo*, correctis pariter secundum eorum mentem aliquibus aliis characteribus, loco *Cosmibuenae* Matritensis *Prodromi*, novam *Hirtellam* substituimus. Equis enim inficiabitur, quod, sicut praedicta retractatio (quae vere sapientibus adeo est familiaris) summam

AA. *Flor. Peruv. et Chil.* animi magnitudinem, ingenuitatem, atque probitatem satis ostendit; sic etiam patefacere debeat, perquam difficile esse, ut ejusmodi opus, quod tam multiplicem, variamque naturam contemplatur, in lucem prodeat perpolitum, et omnibus numeris absolutum?

Addit praeterea cl. Ruizius in cit. Resp. ad cl. Cavanillesium, quod iste hinc inde praemature in suis adversus *Prodromum* impugnationibus negando *Cosmibuenam* esse novum Genus, et simul asserendo, eandem esse *Hirtellae* speciem, quae in Tab. Jacquiniana figuratur, nec suo, nec vero nititur fundamento. Quum enim Cavan. nec vivam, nec mortuam observaverit *Cosmibuenam*, et in Jacquinii *Hirtella* non viderit fructum, nec fructificationis partes, quatenus ibi non exprimuntur, quo certo fundamento, ut decet Botanicum, potuit negare eam non esse novum genus, sed *Hirtellae* speciem? Non igitur ex sua, sed ex Ruizii penu id deprompsit. Hic enim, ut supra diximus, post *Prodromi* editionem novit, *Cosmibuenam* non esse Genus vere novum. Notionem suam communicavit cum socio Pavonio, ut in secundo tomo publice annunciaretur. Pavonius in aurem instillavit. . . ut idem Pavonius postea testatus est. Hoc denique clandestinum Pavonianum monitum peperit Cavanillesianam impugnationem, ait Ruizius.

Assertio item Cavan. quod *Cosmibuenae*, seu, ut melius dicam, *Hirtellae* Peruviana, sit eadem species cum specie Jacquiniana, falso nititur fundamento. Maxima quidem inter utramque *Hirtellam* versatur differentia spe-

CONDALIA

CAL. *Perianthium* quadridentatum: *denticulis* subulatis, erectis; superum persistens.

COR. infundibuliformis. *Tubus* longitudine calycis. *Faux* ampliata. *Limbus* quadripartitus: *laciniis* lanceolatis, patentibus.

STAM. *Filamenta* quatuor, brevissima, fauci inserta, deorsum decurrentia. *Antherae* lineares, erectae, inclusae.

PIST. *Germen* subrotundum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigmata* duo, revoluta.

PER. *Bacca* ovata, calyce coronata, cava, spongiosa, bilocularis:

SEM. plurima, lentiformia, libera, receptaculo globoso, pedicellato, dissepimento utrinque adnato, inserta.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla infundibuliformis. *Calyx* quadridentatus. *Bacca* bilocularis, cava, spongiosa. *Semina* lentiformia, libera.

Species quatuor. *Herbae*.

Genus dicatum D. Antonio Condal, Medico Gotholauno, Petri Loefflingii discipulo, et alteri itineris in Orinocum socio.

EXPLIC. ICONIS II. CONDALIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla*. 4. *Corolla* scissa cum staminibus. 5. *Stamina*. 6. *Pistillum*. 7. *Bacca*. 8. *Bacca* transversim secta. 9. *Receptacula*. 10. *Semina*.

CLAS. IV. ORD. I. TETRANDRIA MONOGYNIA

GONZALAGUNIA.

CAL. *Perianthium* campanulatum, minimum, quadridentatum, superum, persistens.

COR. infundibuliformis. *Tubus* cylindricus. *Faux* villosa. *Limbus* quadripartitus: *laciniis* ovatis, acutis, patentibus.

B

cifica. *Hirtella* Jacquini arbor est procera viginti pedum altitudinis; *Hirtella* Prodrumi frutex sex pedibus vix alta. Illa Folia habet acuta; ista acuminata: illa Racemos terminales; ista axillares, et terminales: illius Petala subrotunda sunt, et integra, Antherae pariter subrotundae, et integrae; istius tamen Petala obovata, et emarginata, Antherae au-

tem bifidae. Praeterea nostri Prodrumi *Hirtella* gaudet *Calyce* pentaphyllo; *Nectario* annulari *germen* ambiente; cui *Stamina* tria subulata, et duo filamentorum rudimenta brevissima insident; *Drupa* Cuneiformi subplicata; et *Nucleo* acumine uncinato, quibus omnibus Jacquini *Hirtella* caret. Eritne igitur eadem species? Minime.

STAM. *Filamenta* quatuor brevissima, tubo corollae inserta. *Antherae* sagittatae, intra faucem reconditae.

PIST. *Germen* inferum, obtuse tetragonum. *Stylus* filiformis, corolla brevior. *Stigma* tetragonum, quadrifidum.

PER. *baccatum*, obsolete tetragonum, calyce coronatum, includens *Cocculas* quatuor, osseas, subrotundas, polyspermas.

SEM. plurima, parva, angulata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla infundibuliformis. *Calyx* campanulatus, minimus, quadridentatus. *Pericarpium* baccatum obsolete tetragonum, *Cocculas* quatuor osseas, polyspermas, includens.

OBSERVATIO. *Pericarpium* singularis certe structurae?

Species unica. Frutex.

Genus nuncupatum R. P. *Francisco Gonzalez Laguna*, Ordinis Clericorum Regularium aegrotis Ministrantium in Peruvia Ex-Provinciali, viro in primis industrius, doctus, et studiosorum patronus, artium, et scientiarum proficuarum promotori indefesso, cujus opera, consilio, gratia, et liberalitate usi sumus quamdiu in Peruvia viximus; et posteaquam Tafalla, et Pulgarius alumni, et successores nostri, ejus fidei, et auctoritati ex Regis decreto commissi sunt, litterarum commercio ad Florae Peruvianae incrementum, et laborum nostrorum illustrationem utimur.

EXPLIC. ICONIS III. GONZALAGUNIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla* longitudinaliter scissa, stamina ostendens. 4. *Pistillum*. 5. *Pericarpium*. 6. *Pericarpium* transversim sectum loculamenta demonstrans. 7. *Cocculae*. 8. *Coccula* transversim secta. 9. *Semina* (*).

(*) Nomenclaturam praedicti Generis improbat Cavanilles: 1. quia conflata, ut ait, ex duobus vocabulis integris, ac distinctis; scilicet *Gonzalez*, et *Laguna*, quod adversatur Linn. Can. 221. Phil. Botan. ubi: *Nomina generica ex duobus vocabulis integris, ac distinctis facta, e Republica Botanica releganda sunt*. 2. quia hoc nomine *Laguna* jam ipsemet Cavanillesius in sua *Monadelphia* aliud Genus appellaverat. Etenim *Nomen genericum in eodem genere unicum erit*. Idem Linn. Can. 215. Phil. Bot.

Ruiz autem in sua cit. Resp. p. 55. ad primum negat, quod *Gonzalagunia* sit nomen genericum conflatum ex duobus vocabulis integris, ac distinctis in sensu a praecit. Can. prohibito. Nomina enim generica releganda sunt ea, quae fiunt ex duobus vocabulis in-

tegris, ac distinctis circa diversa objecta: ut comprobatur exemplis ibidem allatis: nempe *Bella donna*, *Centaurum majus*, *Corona Solis*, *Dens Leonis*, etc., quum melius, ac brevius dicatur *Atropa*, *Centaurea*, *Helianthus*, *Leontodon*, etc. At *Gonzalagunia* est nomen genericum minime constans duobus integris, et distinctis vocabulis circa diversa objecta, sed denotans cognomen viri cl. *Gonzalez Laguna*. Igitur cit. Canon non adversatur.

Ad secundum ait, quod *Laguna Monadelphiae* Cavanillesii (praeterquamquod non est Genus vere novum, sed potius species *Hibiscus*, ut in *Ephemerid. Litter. Matrit.* 1789. demonstratur) est omnino diversum a *Lagunia*, multoque magis a *Gonzalagunia*. Illud Genus est dicatum Andreae Laguna Veteri Dioscoridis interpreti: hoc nuncupatur

PALTORIA.

CAL. *Perianthium* minimum, quadrifidum: *laciniis* subrotundis, obtusis; inferum, persistens.

COR. rotata. *Tubus* vix ullus. *Limbus* quadrifidus: *laciniis* subrotundis, integerrimis.

STAM. *Filamenta* quatuor, compressa, brevissima, ad incisuras corollae inserta. *Antherae* sagittatae, obtusae, compressae.

PIST. *Germen* subrotundum. *Stylus* nullus. *Stigma* magnum, tetragonum.

PER. *Bacca* subrotunda, quadrilocularis, tetrasperma.

SEM. solitaria, ovata, subtrigona.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla rotata. *Calyx* minimus, quadrifidus. *Stigma* magnum, tetragonum. *Bacca* quadrilocularis. *Semina* solitaria.

OBSERVATIO. Semen unicum, vel duo ad maturitatem perveniunt, reliqua abortiunt.

Species unica. Frutex.

Genus nuncupatum *D. Benedicto Paltor*, Medico Barcinonensi, qui *Petrum Loefflingium*, Praeceptorem suum, cum *Antonio Condalio* in Orinocum plantarum investigandarum causa prosecutus est.

EXPLIC. ICONIS XXXIII. PALTORIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla* cum staminibus antice adspecta. 4. *Corolla* cum staminibus postice visa. 5. *Stamina*. 6. *Pistillum*. 7. *Bacca* cum calyce. 8. *Bacca* transversim secta. 9. *Semina*.

KRAMERIA.

CAL. *Perianthium* nullum.

COR. subpapilionacea, tetrapetala. *Petala* oblonga; duo *lateralia* patentia, alas constituentia; *superius* reflexum, vexillum referens: *inferius* carinae vices gerens, concavum, reliquis paulo majus.

Nectarium tetraphyllum: foliolis duobus *lateralibus* subrotundis, germini adpressis, interne concavis, externe convexis, veluti

B 2

R. P. Francisco Gonzalez Laguna, adhuc viventi Lima, et de Botanicis nostris, atque Horto Reg. Botan. Matrit. bene meritissimo.

squamatis: *superioribus duobus* spathulatis, erectis, a germine repulsis.

STAM. *Filamenta* quatuor vel tria, teretia, inserta inter germen, et foliola superiora nectarii, intus arcuata. *Antherae* ovatae, approximatae, apice biperforatae.

PIST. *Germen* superum, ovatum, hirsutum. *Stylus* subulatus, longitudine staminum. *Stigma* simplex.

PER. *Drupa* globosa, lappacea, unilocularis, monosperma.

SEM. *Nux* globosa. *Nucleus* subrotundus, acuminatus.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla tetrapetala. *Nectarium* tetraphyllum, difforme. *Antherae* biperforatae. *Drupa* lappacea.

OBSERVATIO. I. In *Krameria Ixina* *Stamina* quatuor. In *Krameria triandra* *Stamina* tria. In alia specie Novae Hispaniae incola, a cl. viro Martino Sesseo nobis communicata, *Stamina* quatuor, *Petala* quinque, et *Nectarium* pentaphyllum observantur. Ceteris characteribus conveniunt.

II. Characterem genericum ab antecessoribus non satis accurate descriptum reformavimus, et icone illustravimus.

Species duae. Suffrutices.

EXPLIC. ICONIS III. KRAMERIA.

1. *Flos* integer. 2. *Petala*. 3. *Nectarium* cum staminibus, et pistillo. 4. *Foliola* duo nectarii inferiora. 5. *Duo superiora*. 6. *Pistillum* cum staminibus. 7. *Stamina*. 8. *Pistillum*. 9. *Drupa*. 10. *Drupa* per medium secta. 11. *Nucleus*.

EMBOTRIUM.

CAL. *Perianthium*: *margo* infera, minima, semicircularis, persistens.

COR. *Petala* quatuor, spathulata, revoluta, apice concava, caduca.

STAM. *Filamenta* nulla. *Antherae* quatuor, ovatae, compressae, cavitatibus petalorum insidentes.

PIST. *Germen* oblongum, pedicellatum. *Stylus* cylindricus, incurvus. *Stigma* peltatum, perforatum.

PER. *Folliculus* oblongus, pedicellatus: apice cylindrico, angustissimo; unilocularis, univalvis, longitudinaliter dehiscens.

SEM. imbricata, obcordata, compressa, ala membranacea cincta.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Petala spathulata, revoluta, apice concava. *Calix*: *margo* semicircularis. *Folliculus* oblongus.

OBSERVATIO. I. *Glandulae tres* sub germine, et *Corolla petalis distinctis* in *Embotrio dentato*, et *obliquo*. In *Emb. pinnato*, et *monospermo* *Glandulae quatuor*, *Corolla petalis distinctis*. In *Emb. lanceolato* *Glandula unica*, *Corolla petalis usque ad medium connatis*. In *Emb. emarginato* *Glandulae nullae*, *Corolla petalis connatis*, vel potius *Corolla monopetala*. In *Emb. emarginato*, *dentato*, *obliquo*, et *lanceolato* *Folliculus polyspermus*. In *Emb. pinnato* *Folliculus dispermus*. In *Emb. monospermo* *Semen unicum*.

II. Genus certe ante nos a Forstero, et Linnaeo f. aliisque editum; sed ob insignem specierum novarum numerum, et ob anomalias, quibus obnoxiae sunt, illustrari dignum.

Species sex. Frutices.

EXPLIC. ICONIS III. EMBOTRIUM.

1. *Flos integer*. 2. *Calyx*. 3. *Petala*. 4. *Antherae*. 5. *Petala alterius floris*. 6. *Antherae*. 7. *Pistillum*. 8. *Receptaculum*. 9. *Folliculus*. 10. *Folliculus naturaliter apertus semina exhibens*. 11. *Semen*.

QUADRIA.

GEVUINA MOLINAE (AVELLANO DE CHILE
seu Avellana Chilensis).

CAL. nullus.

COR. *Petala quatuor*, *spathulata*, *apice concava*; *tria revoluta*; *alterum erectum*; *decidua*.

STAM. *Filamenta quatuor*, *brevissima*, *aequalia*, *cavitatibus petalorum insidentia*. *Antherae cordatae*, *erectae*.

PIST. *Germen superum*, *minimum*, *globosum*, *villosum*. *Stylus filiformis*, *longitudine petalorum*, *apice curvatus*. *Stigma capitatum*.

PER. *Drupa ovalis*, *unilocularis*, *monosperma*.

SEM. *Nux ovata*. *Nucleus ejusdem figurae*.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla tetrapetala, *petalis tribus revolutis*; *altero erecto*. *Drupa monosperma*.

OBSERVATIO. Hoc Genus jam ab anno 1782. detexeramus, descriptionem ejus adversariis nostris committentes. Molina in *Hist. Chilensis Comp.* pag. 193, an. 1788 edito, idem postea evulgavit sub *Gevuinæ* nomine; sed imperfecte adeo, ut jus nostrum retinere, et descriptionem edere satius visum sit.

Species unica. Arbor.

Genus nuncupatum D. Antonio de la Quadra, cujus indefessum studium erga Arbores propagandas, et singularis industria cum antiqua morum

simplicitate conjuncta, Varronis nomen inter Hispanos ipsi, dum adhuc viveret, conciliaverant.

EXPLICATIO ICONIS XXXIII. QUADRIA.

1. *Flos* integer. 2. *Petala*. 3. *Antherae*. 4. *Pistillum*. 5. *Drupa*. 6. *Drupa transversim secta*. 7. *Nucleus* (*).

(*) Quod in *Observ.* citatur Molina in *Hist. Chil. Comp.* pag. 198. intelligendum de secunda editione Hispanica Matriti facta sub titulo: *Compendio de la Historia Geografica, Natural, y Civil del Reyno de Chile* 1788; non vero de prima Italica Bononiae 1782, cujus titulus: *Scggio della Storia Naturale del Chili*, ubi pag. 184. praedicta planta describitur. Hanc primariam editionem si, ut oportuit, AA. nostri potius consulissent, forte non dixissent in cit. *Observ. idem* (Molina) postea (1788.) evulgavit. Molina siquidem pluribus antea annis, ac priusquam illi in Regno Chilensi hanc plantam observaverat, ac anno quo ipsi eam ibidem posterius observavere, jam evulgaverat.

Ex quo igitur nostras Molina praedictam plantam vivam in ejus, ac ipsiusmet solo natali examinavit, eam Genus vere esse novum cognovit, ac ex nomine Americano *Gevuin*, *Gevuinam Avellanam* appellavit. Nostri autem AA. ipsi etiam, Genus esse vere novum noscentes, eandem, *Quadriam* nuncuparunt, quatenus *D. Quadra*, viro Hispano benemerito dicavere. Etsi tamen de nomine non sit disputandum, consultius, puto, nostri Botanici egissent, si aliam *Quadriam* constituentes, *Gevuinam* utpote nomen, quamvis Indicum, ab alio tamen Botanico jam prius impositum, atque illius Regionis vernaculum, nec adeo barbarum, aut ita crassum, intactum reliquissent. Nomina cujusvis loci vernacula (ait Linn. in *Phil. Bot.*) in *Floribus specialibus* multum lucis accendunt, non modo ut facilius ab incolis addiscantur plantae; sed et ut ex vulgi nomine, saepius ingenioso, natura plantae innotescat. Qua ratione ductus praeclariss. Casimirus Gomez Ortega in *Annot. ad praedictum Linn. Can.* judicat, nomina Regionum vernacula excludenda non esse, quatenus ad plantarum vires co-

gnosendas multum prosunt: ut plurimis Mexicanorum nominum exemplis ex nostrate Hernandezio depromptis dilucide confirmat.

Notabit quis fortasse, quod, quum *Gevuina* Molinae eadem sit cum *Quadria* Prodromi, nihilominus ea a Molina inter Didynamias, haec a *Florae* auctoribus inter Tetrandras sit collocata. Hac super Classium diversitate amicus Molina a me consultus, sincere respondit: ipsi pro tunc suam *Gevuinam* visam fuisse, habere characterem proprium Clas. XIV. Linn. scilicet, *Stamina*. Quatuor *Filamenta*, quorum duo intermedia, et proxima breviora, etc.; nihilotamenminus posterioribus, et accuratis nostrorum Botanicorum observationibus standum esse.

Ruizius in sua *Resp.* pag. 62. vehementer miratur, Cavanillesium in sua contra *Quadriam* animadversione, totum, ac unice se referre ad Lamarck, et Jussieu *Gevuinam* imperfectas descriptiones ex Molinae *Hist.* exaratas, quin de Molina ne quidem verbum faciat. Hispanum enim hunc potius quam alienigenas, qui ex eo mutuati sunt, recensere aequius videbatur. Si autem Molina (post varios casus, post tot discrimina rerum), quum fere omnia, atque propria suarum observationum scripta tunc desiderarentur, *Gevuinam* non ita perfecte, ut par erat, descripsit; neque id mirum, nec quod nostri AA., qui opportunius eam examinarunt, jure suo utentes, Molinae descriptionem, quam Lamarck, et Jussieu afferunt, reformaverint. Ad nomenclationem quod attinet, adjungit ibidem idem Ruizius: usitatus hujus plantae nomen in Regno Chilensi, dum ipse illac peregrinaretur, fuisse, vel Hispanice *Avellano*, vel Indice *Nebu*, nomen vero *Gevuin* non audivisse. Quae ratio esse potest idonea, ut dicatur, non omnino absurde ab AA. Prodromi mutatum fuisse nomen a Molina impositum.

NERTERIA (SMITH).

GOMOZIA. LINN. SUPPL. XVII.

- CAL. nullus, nisi *margo* minimus, obsolete quadridentatus.
 COR. campanulata, quadrifida: *laciniis* ovatis, acutis, patentibus, supera, decidua.
 STAM. *Filamenta* quatuor, filiformia, basi corollae inserta, corolla breviora. *Antherae* orbiculatae, compressae, didymae.
 PIST. *Germen* subrotundum, inferum. *Stylus* bipartitus. *Stigmata* subulata, patentia, longitudine corollae.
 PER. *Bacca* globosa, obsolete umbilicata, unilocularis, disperma.
 SEM. duo, ovata, hinc convexa, inde concava.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx: *Margo* minimus. *Corolla* decidua. *Bacca* disperma.

OBSERVATIO. I. Varia in hoc genere immutare ex autopsia coacti sumus, quemadmodum descriptionem nostram cum Linnæi f. descriptione in Suppl. conferenti patebit.

II. Genus *Psychotriae* valde affine, quamvis *Nerteria* numero quaternario in flore gaudeat, quinario *Psychotria*; et semina *Nerteriae* levia sint, *Psychotriae* vero sulcata.

Nerteriae nomen praetulimus a cl. Smith adoptatum, non modo quia ab ipso satis apte descriptum Genus animadvertimus; sed etiam quia revera Planta terrae adpressa constanter crescit, uti Graecum vocabulum indicat.

Species unica. Herba.

EXPLIC. ICONIS XXXIII. NERTERIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx* marginalis germen coronans. 3. *Corolla* antice visa. 4. *Corolla* postice visa. 5. *Corolla* scissa cum staminibus. 6. *Stamina*. 7. *Pistillum*. 8. *Bacca*. 9. *Bacca* transversim secta. 10. *Semina*.

REQUEURIA.

- CAL. *Perianthium* triplex, persistens: duo exteriora monophylla, bipartita; interioris diphyllum: *foliolis*, *laciniisque* subrotundis, concavis, erectis.
 COR. *Petala* quatuor, subrotunda, concava, erecta.
 STAM. *Filamenta* quatuor, subulata, compressa, longitudine germinis receptaculo affixa. *Antherae* ovatae.

PIST. *Germen* ovatum, superum. *Styli* quatuor, brevissimi. *Stigmata* obtusa.

PER. *Capsula* ovata, tetragona, quadrilocularis, stylis coronata, quadrivalvis.

SEM. plura, ovata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla tetrapetala. *Calyx* triplex. *Capsula* quadrilocularis, stylis coronata.

Species unica. Frutex.

Genus dicatum D. Ludovico Riqueur, Philippi V. Reg. summo Pharmacopoeo, qui Botanices studium inter Hispanos propagandi cupidus, stirpes rariores, delicatioresque fructus sua impensa in praedio suburbano (vulgo *de Migas Calientes*) diligentissime coluit: quod praedium Ferdinando Asturum Principi testamento legavit, qui rerum summam adeptus regia liberalitate illic primum Matritensem Botanices Hortum publicum conseri jussit; unde postea intra urbem utilius, et magnificentius translatus.

CLAS. V. ORD. I. PENTANDRIA MONOGYNIA.

A L D E A.

CAL. *Perianthium* quinquepartitum: *laciniis* linearibus, erectis; inferum, persistens.

COR. campanulata, quinquefida, superne ampliata, longitudine calycis.

STAM. *Filamenta* quinque, subulata, villosa, corolla duplo longiora, erecto-patentia, basi corollae inserta. *Antherae* oblongae.

PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* filiformis, bifidus: *laciniis* acutis. *Stigmata* simplicia.

PER. *Capsula* ovata, unilocularis, bivalvis, disperma, intra calycem.

SEM. obovata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula unilocularis, bivalvis, disperma. *Corolla* campanulata. *Stylus* bifidus.

OBSERVATIO. Semen alterum plerumque abortit.

Species unica. Herba.

Genus dicatum D. Francisco Aldeae, Reg. Pharmacopoeorum Matritensium Collegii olim Praefecto, qui Botanicem in eodem Collegio publice docuit, et Josepho Quer praeceptori suo in Plantarum exploratio-

nibus per Hispaniae Provincias comitem, et adiutorem saepius se praebuit.

NAVARRETIA.

CAL. *Perianthium* campanulatum, quinquefidum: *laciniis* tridentatis, pungentibus; inferum, persistens.

COR. infundibuliformis. *Tubus* quinqueangularis, longitudine calycis. *Limbus* planus, quinquepartitus: *laciniis* obovatis, aequalibus.

STAM. *Filamenta* quinque, filiformia, medio tubi inserta, longitudine pistilli. *Antherae* ovatae.

PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* filiformis, erectus longitudine tubi. *Stigma* bifidum, reflexum.

PER. *Capsula* ovata, unilocularis, membranacea, bivalvis.

SEM. nonnulla, ovata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS:

Capsula unilocularis, bivalvis. *Corolla* infundibuliformis. *Stigma* bifidum.

Species unica. Herba.

Genus dicatum D. Francisco Fernandez Navarrete, Medico Regio, et R. Academiae Historiae Socio perillustri, in cujus selectissima Bibliotheca exstant plures ipsius codices manuscripti de Plantis, et de universa Regni Granatensis Naturali Historia.

S E S S E A.

CAL. *Perianthium* tubulosum, quinqueangulare, quinquedentatum: *denticulis* ovatis; inferum, persistens.

COR. infundibuliformis. *Tubus* calyce duplo longior. *Faux* globosa. *Limbus* quinquepartitus, plicatus: *laciniis* ovatis, erectis, marginibus involutis.

STAM. *Filamenta* quinque, filiformia, medio tubi inserta, ejusque longitudine, basi incurva, villosa. *Antherae* ovatae, didymae.

PIST. *Germen* oblongum, parvum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* bilobum, altero breviori.

PER. *Capsula* teres, curvata, calyce duplo longior, unilocularis, bivalvis; *valvulis* bifidis.

SEM. numerosa, imbricata, oblonga, compressa, margine membranaceo cincta.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula teres, curvata, unilocularis, bivalvis: *valvulis* bifidis. *Corolla* infundibuliformis. *Stigma* bilobum; altero breviori.

Species duae. Frutices.

Genus dicatum *D. Martino Sesseo*, Horti R. Mexicensis, et explorationum Botanicarum, atque universae Historiae naturalis per novam Hispaniam Praefecto dignissimo.

EXPLIC. ICONIS XXXIII. SESSEA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla*. 4. *Corolla* stamina ostendens. 5. *Stamen* auctum. 6. *Pistillum*. 7. *Capsula*. 8. *Capsula* aperta. 9. *Receptaculum*. 10. *Semina*.

FABIANA.

CAL. *Perianthium* quinqueangulatum, quinquedentatum, parvum, inferum, persistens.

COR. infundibuliformis. *Tubus* longissimus, inferne attenuatus. *Limbus* quinquelobus, plicatus; *lobi* revolutis.

STAM. *Filamenta* quinque, filiformia, basi tubi inserta, quorum duo paullo longiora, tria reliqua stylo breviora. *Antherae* ovatae, didymae, inferne bipartitae.

PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* filiformis, corollae longitudine. *Stigma* emarginatum.

PER. *Capsula* ovata, bilocularis, bivalvis; *valvulis* bifidis, reflexis.

SEM. numerosa, parva, oblonga, rugosa, punctata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula bilocularis, bivalvis. *Corolla* infundibuliformis, limbo plicato, revoluta. *Tubus* longissimus, inferne attenuatus. *Stigma* emarginatum.

Species unica. Frutex.

Genus dicatum *Ex.^{mo} D. Francisco Fabiano*, et *Fuero*, Archiepiscopo Valentino, qui Horto Botanico in praedio Puteolano suae ditionis consito Plantas ex utraque India rariores beatissima caeli, et soli naturae usus excolendas curat, et cum Horto R. Matritensi liberalissime communicat.

EXPLIC. ICONIS XXXIV. FABIANA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla*. 4. *Corolla* scissa stamina ostendens. 5. *Stamina* aucta. 6. *Pistillum*. 7. *Capsula*. 8. *Capsula* aperta. 9. *Semina*.

NIEREMBERGIA.

- CAL. *Perianthium* quinquefidum : *laciniis* ovato-lanceolatis ; inferum, persistens.
- COR. subhypocrateriformis. *Tubus* cylindraceus, tenuis, calyce quadruplo longior, curvatus. *Faux* clausa, plicata, coarctata. *Limbus* expansus, quinquefidus ; *laciniis* ovatis, patentibus, striatis, plicatis.
- STAM. *Filamenta* quinque, subulata, inaequalia, a medio ad apicem stylo adpressa, ori faucis inserta : duo longiora ; quintum inter longiora, reliquis brevius. *Antherae* simplices.
- PIST. *Germen* superum, ovatum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum longiorum. *Stigma* bilobum.
- PER. *Capsula* ovata, bilocularis, bivalvis.
- SEM. plurima, minima, angulata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula bilocularis, bivalvis. *Corolla* subhypocrateriformis. *Faux* coarctata, plicata. *Stigma* bilobum.

Species unica. Herba.

Genus dicatum Joanni Eusebio Nieremberg Soc. Jesu, origine Belgae, Matriti nato, et in Academia R. Matritensi olim Physiologiae Professore, qui Historiam naturae libris XVI. distinctam Antuerpiae edidit in f. anno 1633., ubi in Botanica, ceterisque scientiis naturalibus non minus, quam in theologicis, et asceticis studiis versatum se fuisse ostendit.

XUAREZIA.

- CAL. *Perianthium* quinquepartitum : *laciniis* ovatis, acutis, inferum, persistens.
- COR. rotata, caduca. *Tubus* brevissimus. *Limbus* quinquepartitus : *laciniis* ovatis, acutis, revolutis.
- STAM. *Filamenta* quinque, subulata, tubo corollae affixa. *Antherae* ovatae, basi bifidae.
- PIST. *Germen* ovato-oblongum, compressiusculum. *Stylus* brevis. *Stigma* compressum, simplex.
- PER. *Capsula* ovato-oblonga, bisulca, compressiuscula, obtusa, bilocularis, bivalvis ; *valvulis* bifidis.
- SEM. numerosa, minima, subovata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula bilocularis, bivalvis: *valvulis* bifidis. *Corolla* rotata. *Stigma* compressum.

OBSERVATIO. P. Feuilleus, qui hanc Plantam in Peruvia primus observavit, eam nomine *Caprariae Peruviana*e in lucem edidit. Linnaeus autem ad suum Genus *Caprariae* ipsam referre ausus non fuit: monet tamen, ut cum *Capraria biflora Jacquinii* conferatur. Cum autem ex nostris observationibus compertum habeamus, nec ad Genus *Caprariae*, nec ad ejus quidem classem pertinere; novum Genus constituere operae pretium duximus.

Species unica. Suffrutex.

Genus dicatum D. Casparo Xuarez Tucumano-Jacobopolitano, olim ex S. J., qui cum socio Philippo Gilii in id incumbit, ut Romae plantas exoticas minus notas, minusque usitatas excolant, earumque viribus exploratis, cognitionem, et usum in publicam utilitatem evulgent, propagentque.

EXPLIC. ICONIS IV. XUAREZIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla* postice visa. 4. *Stamina* aucta. 5. *Pistillum*. 6. *Capsula*. 7. *Semina* (*).

GILIA.

CAL. *Perianthium* angulatum, quinquefidum: *laciniis* lanceolatis, erectis; inferum, persistens.

COR. infundibuliformis. *Tubus* cylindricus, longitudine calycis. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* ovatis, integerrimis, patentibus.

STAM. *Filamenta* quinque, filiformia, incisuris corollae affixa. *Antherae* simplices, ovatae.

PIST. *Germen* oblongum, trigonum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigmata* tria, simplicia.

PER. *Capsula* trigona, trilocularis, trivalvis.

SEM. plurima, oblonga.

(*) *Xuarezia* colitur, et observatur in nostro Horto Vaticano-Indico, ex semine nobis a Ruizio transmissio.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula trilocularis, trigona. *Corolla* infundibuliformis. *Stigmata* tria.

Species unica. Herba.

Genus dicatum *D. Philippo Gilii*, qui una cum Casparo Xuarez Romae edere pergit Italico sermone *Observationes phytologicas de nonnullis plantis exoticis, Romam inductis*.

EXPLIC. ICONIS IV. GILIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla*. 4. *Stamina*. 5. *Pistillum*. 6. *Capsula*. 7. *Capsula transversim secta*. 8. *Capsula aperta*. 9. *Semina*.

PERIPHRAGMOS.

CANTUA JUSSIEU, GEN. PLANT. p. 136.

CAL. *Perianthium* tubulosum, cylindricum, subincurvum, striatum, quinquefidum: *laciniis* ovatis, obtusis; inferum, persistens.

COR. hypocrateriformis. *Tubus* oblongo-cylindricus, subincurvus, nervosus, basi, apiceque angustatus, calyce triplo longior. *Limbus* planus, quinquepartitus: *laciniis* obcordatis, aequalibus, patentibus.

STAM. *Filamenta* quinque, filiformia, longitudine corollae, prope tubi basim inserta. *Antherae* sagittato-cordatae.

PIST. *Germen* ovatum, insidens, corpori glanduloso, pentagono. *Stylus* filiformis, erectus, longitudine staminum. *Stigma* tripartitum: *laciniis* oblongis, patentibus, margine reflexis.

PER. *Capsula* oblonga, obsolete trigona, trilocularis, trivalvis.

SEM. plurima, imbricata, oblongo-elliptica, compressa, margine membranaceo cincta.

REC. trigonum, membranaceum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula trilocularis. *Corolla* hypocrateriformis. *Antherae* sagittatae. *Semina* imbricata, margine membranaceo cincta. *Receptaculum* trigonum.

OBSERVATIO. In Icone exhibentur partes fructificationis *Periphragmi flexuosi*, cujus *Filamenta* corolla duplo longiora, et flexuosa sunt: ceterarum vero specierum longitudine corollae, et superne incurvata.

Species quatuor. Frutices.

Genus *Periphragmos* Graece nominavimus, quoniam ejus species circa sepes vicorum, et rudetorum crescere amant.

EXPLIC. ICONIS IV. PERIPHRAGMOS.

1. *Flos* integer antice visus. 2. *Alter* lateraliter adspectus. 3. *Calyx*. 4. *Corolla*. 5. *Corolla* scissa stamina ostendens. 6. *Pistillum*. 7. *Corpus* glandulosum, pentagonum. 8. *Capsula*. 9. *Capsula* aperta. 10. *Semina*.

JUANULLOA.

CAL. *Perianthium* magnum, ovatum, inflatum, quinquepartitum: *laciniis* lanceolatis, acutis, concavis; inferum, coloratum, persistens.

COR. tubulosa. *Faux* dilatata, gibbosa, ore angusto. *Limbus* parvus, quinquefidus: *laciniis* subrotundis, patentibus.

STAM. *Filamenta* quinque, filiformia, tubo corollae inserta, basi hirsuta. *Antherae* oblongo-lanceolatae, inclusae.

PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* oblongum, leviter emarginatum.

PER. *Bacca* ovalis, calyce obvoluta, bilocularis.

SEM. plurima, oblongo-reniformia, a pulpa libera.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Bacca bilocularis, calyce obvoluta. *Calyx* inflatus. *Stigma* oblongum. *Semina* reniformia.

Species unica. Suffrutex.

Genus dicatum D. Georgio Juan, et D. Antonio Ulloa, qui cum Condamine, Josepho Jussieo, aliisque eximiis Mathematicis, et Botanicis Peruviam peragrarunt, ut Aequatoris gradum ad Orbis terraquei figuram asserendam metirentur, et varia de Plantis Indiae Occidentalis in itineris sui descriptione Matriti edita anno 1748. tradiderunt.

EXPLIC. ICONIS IV. JUANULLOA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla*. 4. *Stamina* tubo corollae inserta. 5. *Pistillum* in *Receptaculo*. 6. *Bacca*. 7. *Baccae* dimidia pars duo loculamenta ostendens. 8. *Semina* (*).

(*) Praedictum nomen genericum e foro *Ulloa* constructum; quod quidem, ipse putat, esse contra Linn. doctrinam. ex duobus Hispanis cognominibus Juan, et Ruizius his respondet (pag. 22.) de industria

VALLESIA.

CAL. *Perianthium* minimum, quinquefidum: *laciniis* ovatis, acutis; inferum, persistens.

COR. infundibuliformis. *Tubus* cylindraceus, longus, tenuis. *Faux* inflata. *Limbus* planus, quinquefidus: *laciniis* lanceolatis, aequalibus, subplicatis.

STAM. *Filamenta* quinque, fauci corollae adnata. *Antherae* ovato-sagittatae.

PIST. *Germen* ovatum, didymum. *Stylus* filiformis, longitudine tubi. *Stigma* crassiusculum, oblongum.

PER. *Drupae* duae, patentes, obovatae, obtusae, uniloculares, monospermae.

SEM. *Nuces* obovatae, fibrosae, lignosae, striatae, uniloculares. *Nuclei* ejusdem figurae.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Drupae duae. *Calyx* minimus. *Corolla* infundibuliformis. *Faux* inflata.

Hoc Genus descriptum, et delineatum nobis miserunt alumni Tafalla, et Pulgar.

Species unica. Frutex.

Genus dicatum D. Francisco Vallesio, Philippi II. Regis Medico, qui praeter varia opera ad Medicinam spectantia, quibus magnum sibi nomen comparavit, Tractatum quoque edidit de *Sacra Philosophia*, in quo Olas Celsio in argumento Sacrae Scripturae Plantas elucidandi praeivit.

EXPLIC. ICONIS V. VALLESIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla* scissa stamina ostendens. 4. *Stamina*. 5. *Pistillum*. 6. *Drupae*. 7. *Nuclei*.

DESFONTAINIA.

CAL. *Perianthium* quinquepartitum: *laciniis* distantibus, linearilanceolatis, acutis, erectis; inferum, persistens.

in uno Genere simul fuisse apposita duo haec cognomina duorum illustrium Hispanorum, qui simul per Americam sunt peregrinati, simulque suarum peregrinationum res gestas publicae luci dederunt; ut ita pariter in una eademque nomenclatura eorum memoria simul

permaneret. Insuper, quum haec parum ad rei Botanicae naturam referant, *Prudentis magistri est, ejus nomenclationis aucupio studiosos non demorari*, ut ajebat Plin. lib. 2. Confer Notam ad *Gonzalagunia*.

COR. subcampaniformis. *Tubus* calyce longior, pentagonus. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* ovatis, subpatentibus.

STAM. *Filamenta* quinque, compressa, brevia, fauci corollae inserta, deorsum per tubum decurrentia. *Antherae* sagittatae, acutae, erectae.

PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* filiformis, staminibus longior. *Stigma* capitatum, obtusum.

PER. *Bacca* ovata, quinquelocularis.

SEM. plurima, parva, oblonga, nitida.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Bacca quinquelocularis. *Corolla* subcampaniformis. *Tubus* pentagonus. *Antherae* sagittatae.

Species unica. Frutex.

Genus nuncupatum *D. Des-fontaines*, in Horto R. Parisiensi percelebri Botanices Professori.

EXPLIC. ICONIS V. DESFONTAINIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla* scissa, stamina ostendens. 4. *Pistillum*. 5. *Bacca* cum calyce. 6. *Bacca* cum calyce transversim secta. 7. *Semina*.

NYCTERISITION.

CAL. *Perianthium* pentaphyllum: *foliolis* ovatis, concavis; inferum, deciduum.

COR. campanulata, calyce major, quinquefida: *laciniis* ovatis, patentibus.

STAM. *Filamenta* quinque, brevia, infra lacinias corollae inserta. *Antherae* ovatae.

PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* cylindricus, brevissimus. *Stigma* quinquedentatum.

PER. quinqueangulare, quinqueloculare, pentaspermum.

SEM. solitaria.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Pericarpium quinqueloculare, pentaspermum. *Semina* solitaria.

OBSERVATIO. Fructum nimis tenerum invenimus, atque adeo definire non licuit, quae species *Pericarpii* esset; germen autem *Pericarpium* quinqueloculare, pentaspermum denotavit.

Species unica. Arbor.

Genus *Nycterisition* idem Graece sonat ac *Chichimicuna*, quod vernacule *vespertilionis* cibus significat.

EXPLIC. ICONIS V. NYCTERISITION.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla*. 4. *Corolla* scissa *stamina* ostendens. 5. *Stamina*.
6. *Pistillum*.

SARACHA.

CAL. *Perianthium* campanulatum, quinqueangulatum, quinquefidum: *laciniis* ovatis, acutis, patentibus; inferum, persistens.

COR. primum campanulata, postea patens, rotata. *Limbus* quinquefidus: *laciniis* ovatis, aequalibus, reflexis.

STAM. *Filamenta* quinque, subulata, basi corollae inserta, inferne dilatata, corolla breviora, erecta. *Antherae* ovatae, erectae, biloculares.

PIST. *Germen* subrotundum. *Stylus* filiformis, longitudine fere corollae. *Stigma* capitatum, obtusum.

PER. *Bacca* globosa, unilocularis, prope ad medium calyce involuta.

SEM. plurima, compressa, reniformia, in cellulis totidem inordinatis nidulantia.

REC. carnosum, globosum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS:

Bacca unilocularis, prope ad medium calyce involuta. *Calyx* quinqueangulatus. *Semina* in cellulis totidem nidulantia. *Receptaculum* carnosum.

OBSERVATIO. I. Differt a *Physalidis*, et *Nicandrae* Generibus; *Corolla* rotata, *Staminibus* erectis, *Bacca* uniloculari, calyce vix semicincta: ab *Atropa* Linnaei *Calyce* quinquefido, *Corolla* rotata, *laciniis* aequalibus, reflexis; *Staminibus* erectis, inferne dilatatis, basi corollae insertis, *Stylo* erecto, *Stigmate* truncato, *Bacca* uniloculari, *Seminibus* compressis, nidulantibus in totidem cellulis.

II. Huic Generi *Scopolia Carniolica* Jacquin *Observ. Botan.* part. I. p. 32. tab. 20. valde affinis videtur.

Species tres. Herbae.

Genus dicatum R. P. Fr. *Isidoro Sarachae*, e *Benedictorum* Familia, qui stirpium studio assidue intentus earum cognitionem pluribus adolescentibus libentissime communicat, et Hortum R. Matritensem rarissimis Plantis locupletare non desistit.

EXPLIC. ICONIS XXXIV. SARACHA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla* cum staminibus. 4. *Stamina*. 5. *Pistillum*. 6. *Bacca*. 7. *Bacca* transversim secta. 8. *Semina* (*).

LYGODISODEA.

- CAL. *Perianthium* quinquepartitum: *laciniis* lanceolatis, acutis, erectis; superum, persistens.
- COR. infundibuliformis. *Tubus* calyce multo longior, erectus. *Faux* villosa. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* ovatis, plicatis, reflexis.
- STAM. *Filamenta* quinque, filiformia, brevia, faucis inserta; duo altiora. *Antherae* lanceolatae, erectae; tres intra faucem, duae exsertae.
- PIST. *Germen* ovatum, inferum. *Stylus* filiformis, bifidus. *Stigmata* duo, filiformia, subpatentia.
- PER. *Capsula* ovata, compressa, membranacea, fragilis, unilocularis, disperma, calyce coronata, basi bivalvis; *valvulis* inaequaliter dilaceratis.
- SEM. duo, suborbiculata, compressa, margine membranaceo, oblongo-elliptico, basi emarginato cincta, *Receptaculo* filiformi, *valvulis* utrinque adnato per apicem affixa.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula unilocularis, disperma. *Corolla* infundibuliformis. *Stigmata* duo.

Species unica. Suffrutex.

Genus *Lygodisodea* a viminis, quem praestat, usu, et plantae foetore Graece nominavimus.

(*) Hujus novi Generis constructioni opponitur Cavanillesius: aitque praedictas species *Sarachae* potius ad Genus *Atropae* pertinere, quam novum Genus constituere asserit. Unica ejus ratio est (ait Ruizius Resp. pag. 58.) quod unam ex his speciebus sub *Atropae procumbentis* nomine prius descripserat, delineaverat, ac publicarat. Ruizio ergo haec ratio infirma videtur, Cavanillesiumque sibi in hoc non constare putat; quia *Atropam frutescentem* ab omnibus etiam hortulanis sub hoc nomine satis notam, ipse ad *Physalidis*

genus in suis scriptis revocaverat. *Saracha* autem ex dictis in *Observ.* toto caelo diversa est ab *Atropa*: et quamvis illius species ex *Solanorum* familia videantur, tamen nulla earum habitu, aut figura *Atropis* conformatur, et nulla habet *Baccam* duorum loculamentorum, ut in suae *Atropae procumbentis* figura male exhibet Cavanillesius. Denique, quum *Saracha* differat ab *Atropa* etiam in iis omnibus, quae in praedicta *Observ.* afferuntur, nullo fundamento hoc novum Genus infirmatur.

EXPLIC. ICONIS V. LYGODISODEA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla* cum staminibus. 4. *Stamina*. 5. *Pistillum* cum calyce. 6. *Capsula* a seminibus libera. 7. *Semina* receptaculo utrinque affixa. 8. *Semina*.

HIPPOTIS.

- CAL. *Perianthium* auriculæforme, acutum, pentagonum, integerrium, superum, coloratum, persistens.
 COR. infundibuliformis. *Tubus* curvatus calyce longior. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* obovatis, integerrimis, patentibus.
 STAM. *Filamenta* quinque, filiformia, erecta, villosa, tubo affixa, *Antherae* ovatae, simplices.
 PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* erectum, bifidum.
 PER. *Capsula* ovata, bilocularis, calyce coronata.
 SEM. plurima, cuneiformia.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

- Capsula* bilocularis, calyce auriculæformi coronata. *Corolla* infundibuliformis. *Stigma* bifidum.
 Species unica. Suffrutex.
 Genus *Hippotis* a calycis figura aurem equinam referente denominavimus.

H U E R T E A.

- CAL. *Perianthium* quinquedentatum: *denticulis* ovatis; acutis erectis; inferum, persistens.
 COR. *Petala* quinque, ovata, sessilia, calyce paulo longiora, patentia, marcescentia, persistentia.
 STAM. *Filamenta* quinque, subulata, erecta, petalis longiora. *Antherae* ovatae.
 PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* subulatus, brevis, erectus. *Stigma* bifidum: *laciniis* acutis.
 PER. *Drupa*? obovata, unilocularis, monosperma.
 SEM. *Nux*? obovata, unilocularis. *Nucleus* ejusdem figurae.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx quinquedentatus. *Petala* ovata, sessilia. *Stigma* bifidum. *Drupa*? ob-
ovata. *Nux*? unilocularis.

OBSERVATIO. *Petala* calyci adeo adpressa, ut primo intuitu denticuli ipsius
calycis tantum appareant. *Pericarpium* maturum non offendimus; Ger-
men autem illud monospermum indicabat.

Species unica. Arbor.

Genus dicatum D. Hieronymo *Huertae*, qui Plinii Historiam Naturalem
Hispanica interpretatione donavit, et commentariis illustravit.

EXPLIC. ICONIS VI. HUERTEA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petala*. 4. *Stamina*. 5. *Pistillum*.

VILLARESIA.

CAL. *Perianthium* minimum, quinquefidum: *laciniis* subrotundis;
concavis; inferum, marcescens, persistens.

COR. *Petala* quinque, ovata, patentia.

STAM. *Filamenta* quinque, subulata, patentia. *Antherae* ovatae,
didymae.

PIST. *Germen* minimum. *Stylus* nullus. *Stigma* simplex, depressum.

PER. *Capsula* oblonga, acuminata, unilocularis, monosperma, bi-
valvis, corticosa.

SEM. unicum, oblongum, uniloculare, compressum, tetragonum:
Arillo bilobo, carnosio involutum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula unilocularis, monosperma, bivalvis. *Stigma* sessile. *Semen* unilo-
culare, tetragonum, arillatum.

Species unica. Frutex.

Genus dicatum R. P. *Mathiae Villares* ex Ordine D. Bernardi, qui quam-
diu vixit, Hortum Botanicum in Coenobio de la Santa Espina coluit,
plantasque, et semina cum ceteris Hispaniae Botanicis liberalissime
communicavit.

HAENKEA.

CAL. *Perianthium* parvum, quinquedentatum, patens, inferum, deciduum.

COR. *Petala* quinque, obovata, patentia, marginibus, reflexis, supra convexa. *Nectarium*: *Discus* planus, germen ambiens.

STAM. *Filamenta* quinque, subulata, erecta, inter nectarium, et petala inserta, hisque breviora. *Antherae* ovatae, didymae.

PIST. *Germen* ovatum, minimum, disco semiimmersum. *Stylus* nullus. *Stigma* simplex, obtusum.

PER.. *Capsula* obovata, unilocularis, bivalvis, disperma.

SEM. duo, oblonga, ossea, *Arillo* pulposo involuta.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula unilocularis, bivalvis. *Nectarium*: *Discus* planus. *Stylus* nullus. *Semina* arillata.

OBSERVATIO, *Capsulae* nonnullae reperiuntur monospermae, et trispermae, rarissime tetraspermae.

Species unica. Frutex.

Genus dicatum D. Thadeo Haenke, Germano, et D. Antonii Pineda, et D. Ludovici Nè socio, qui percelebre iter terra, marique circum orbem cum expeditionis Praefecto D. Alexandro Malaspina, aliisque insignibus Mathematicis ad Geographiae, Astronomiae, Botanices, et Historiae Naturalis illustrationem aggressi sunt.

EXPLIC. ICONIS VI. HAENKEA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petala*. 4. *Nectarium* cum germine. 5. *Stamina*. 6. *Capsula* cum seminibus *Arillo* involutis. 7. *Capsula* cum *Arillo* absque seminibus. 8. *Semina* tria *Arillo* involuta. 9. *Semina*.

CERDANA.

CAL. *Perianthium* tubulatum, decemstriatum, obsolete quinque dentatum; inferum, persistens.

COR. *Petala* quinque, oblonga, unguiculata.

STAM. *Filamenta* quinque, filiformia. *Antherae* oblongae.

PIST. *Germen* oblongum. *Stylus* filiformis, longitudine petalorum, erectus. *Stigmata* duo, bifida.

PER. *Drupa*? oblonga, striata, unilocularis.

SEM. unicum, oblongum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Pericarpium monospermum. *Calyx* tubulosus, decemstriatus. *Petala* unguiculata. *Stigmata* duo, bifida.

OBSERVATIO. *Pericarpium* immaturum offendimus, et ideo an *Drupa* esset, determinare nobis non licuit.

Species unica. Arbor.

Genus dicatum R. Francisco Cerdano et Rico, qui exquisitam humaniorum litterarum, aliarumque proficiarum scientiarum cognitionem cum Botanices, et Historiae Naturalis studio conjungit; quique consilio, gratia, et selectissimae, copiosissimaeque Bibliothecae communicatione labores nostros jacentes excitavit, et eorum editionem pro virili juvat, et promovet.

EXPLIC. ICONIS VI. Cerdana.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petala*. 4. *Stamina*. 5. *Pistillum*. 6. *Pericarpium*. 7. *Semen*.

STEREOXYLON.

CAL. *Perianthium* quinquefidum: *laciniis* ovatis, acutis; superum, persistens.

COR. *Petala* quinque, lingulata, sessilia, apice revoluta.

STAM. *Filamenta* quinque, subulata, erecta, longitudine fere corollae. *Antherae* oblongae.

PIST. *Germen* obovatum, truncatum. *Stylus* cylindricus, erectus, longitudine corollae, persistens. *Stigma* subpeltatum, emarginato-bilobum.

PER. *Capsula* obovata, truncata, calyce coronata, stylo terminata, bilocularis, per basim rimis duabus, vel quatuor dehiscens. *Dissepimentum* interruptum.

SEM. plurima, minima, oblonga, striata. *Receptacula* duo in loculo singulo, parietibus dissepimenti ab utroque latere affixa.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula bilocularis, calyce coronata. *Dissepimentum* interruptum. *Petala* lingulata.

OBSERVATIO. I. In *St. rubro* *Petala* obovato-spathulata, *Nectarium* prominentia conica, decangularis, decemdentata, *germen* coronans, basi-que *stylus* vaginans. In *St. revoluta* *Petala* linearia. In *St. patenti* prominentia decangularis, *germen* coronans. In *St. pulverulento*, et *pendulo* *Petala* sublinearia. In *St. resinoso* *Petala* obovato-oblonga.

II. In quibusdam speciebus *Calyces* quinquefidi, aut quinquedentati, *Stigma* emarginatum, aut emarginato-bilobum, aut subpeltatum. Aliquando tri-

Ioculares, et quadriloculares *Capsulae* reperiuntur, quibus rimarum numerus respondet, atque adeo *Receptacula*, sex aut octo.

III. *Escallonia* supp. Linnaei f. et cl. Smith ad hoc Genus referre oportet, licet *Bacca* eis tribuatur, *Pericarpio* non satis accurate ex speciminibus siccis observato.

Species sex. Arbores, et Frutices.

Genus *Stereoxylon* a materiei firmitate, et robore nominavimus.

EXPLIC. ICONIS VI. STEREOXYLON.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petala*. 4. *Pistillum* cum staminibus, et calyce. 5. *Stamina*. 6. *Pistillum* cum calyce antice adspectum. 7. *Pistillum* lateraliter visum. 8. *Capsula* per medium secta, receptacula demonstrans. 9. *Capsula* postice adspecta, rimas quatuor exhibens. 10. *Semina*. 11. *Capsula* duas rimas denotans (*).

CERVANTESIA.

CAL. *Perianthium* campanulatum, quinqueangulatum, quinquepartitum: *laciniis* ovatis, acutis; inferum, in flore parvum, in fructificatione magnum, coloratum.

COR. nulla.

Squamae quinque, minimae, subrotundae, albae, medio *laciniarum* calycis insidentes.

STAM. *Filamenta*, quinque, compressa, aequalia, squamis alternantia, basi calycis inserta. *Antherae* oblongae, superne, inferneque bifidae.

PIST. *Germen* ovatum, superum. *Stylus* nullus. *Stigma* simplex.

PER. *Calix* carnosus, nucem involvens, inferne nuci accretus, superne liber: *laciniis* magnis, acutis.

(*) Sex praedictas *Stereoxylon* species ad Genus *Escalloniae* reducit Cavanillesius, ut hujus Prodrumi auctoribus contradicat: ea sola ductus ratione, inquit Ruizius, quam Nos in *Observ. III.* afferimus: *Escallonia* Supp. Linn. f. ad hoc genus referre oportet, licet *Bacca* eis tribuatur, *Pericarpio* non satis accurate ex speciminibus siccis observato. Nobis autem, exponit Ruizius, ad hoc statuendum ratio fuit, et quod praedictum Genus *Stereoxylon* priusquam cl. Smith suum genus stabilierat, erat jam a nobis formatum, et quod ejus *Pericarpium* esse *Baccam* ab eodem Smith asseratur; quum a nobis esse *Capsulas* constanter in vivis plantis observa-

tum sit. Quamquam enim, ut ingenue fateamur (prosequitur ipse Ruizius) in nostris *Stereoxylon* speciebus similitudinem quamdam cum *Escalloniis* animadverterimus; nobis tamen non licuit, eas species ad dubium, aut distinctum Smith genus reducere. Notabilis igitur inter utrumque genus differentia, ac nostrum primorum inventorum jus, cui cedere non oportebat, hoc novum Genus condere fecit. Parum ergo, aut nihil interest, quod *Escalloniarum* cl. Smith species incisae egregia sint forma apud Cavanillesium, quum characterem genericum *Stereoxylon* eae non habeant.

SEM. *Nux* ovata, a medio ad basim fungosa, inferne derasa, unilocularis. *Nucleus* ovatus.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Nux calyce carnososo, magno, pentagono, colorato, inferne nuci accreto, involuta. *Squamae* nectariferae quinque.

Species unica. Frutex.

Genus dicatum D. *Vincentio Cervantes*, in Horto R. Mexicensi Botanices professori, qui primus Botanicem in America publice magna cum sua laude, et auditorum frequentia docet.

EXPLIC. ICONIS VII. CERVANTESIA.

1. *Flos* integer. 2. *Squamae* staminibus alternantes. 3. *Stamina*. 4. *Pistillum*. 5. *Calyx* carnosus cum laciniis nucem involvens. 6. *Laciniae* a calyce separatae. 7. *Nux*.

ALZATEA.

CAL. *Perianthium* campanulatum, pentagonum, coriaceum, coloratum, quinquefidum: *laciniis* ovatis, acutis; inferum, persistens.

COR. nulla.

STAM. *Filamenta* quinque, brevissima, laciniis calycis alternantia; receptaculo inserta. *Antherae* ovatae.

PIST. *Germen* obcordatum. *Stylus* brevis, simplex. *Stigma* obtusum.

PER. *Capsula* obcordata, bilocularis, bivalvis. *Dissepimentum* contrarium.

SEM. plurima, oblonga, superimposita, margine membranaceo cincta.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx quinquefidus, pentagonus. *Corolla* nulla. *Capsula* bilocularis. *Semina* superimposita, membranacea.

Species unica. Arbor.

Genus nuncupatum D. *Josepho Antonio Alzate*, Mexicano, Academiae Scientiarum Parisiensis Socio, qui varia, et utilia evulgavit, et quotidie evulgat ad Physicam, Mathesim, Fodinarum labores, Agriculturam, Botanicem, et Naturae Historiam illustrandam facientia.

EXPLIC. ICONIS VII. ALZATEA.

1. *Flos* integer. 2. *Stamina*. 3. *Pistillum*. 4. *Capsula* cum calyce. 5. *Capsula* cum calyce aperta. 6. *Dissepimenta* cum seminibus. 7. *Semina*.

MYOSCHILOS.

CAL. *Perianthium* pentaphyllum: *foliolis* ovatis, patentibus; superum, persistens, coloratum.

COR. nulla.

STAM. *Filamenta* quinque, subulata, erecto-potentia, fundo calycis inserta, eoque breviora. *Antherae* subrotundae, post effusionem pollinis adjunctae.

PIST. *Germen* oblongum. *Stylus* trigonus, brevis. *Stigma* trigonum.

PER. *Drupa* oblonga, calyce coronata, monosperma.

SEM. *Nux* subrotunda, acuminata, unilocularis. *Nucleus* ejusdem figurae.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Drupa monosperma, calyce coronata. *Stylus* trigonus.

OBSERVATIO. *Squamae* tres sub singulo germine, ovatae, concavae.

Species unica. Frutex.

Genus *Myoschilos* Graece, quasi pabulum muris *Coypū* a Molina descripti, qui ejus fructu vescitur, nominavimus.

EXPLIC. ICONIS XXXIV. MYOSCHILOS.

1. *Flos* magnitudinis naturalis. 2. *Flos* auctus postice adspectus cum tribus squamis patulis sub germine. 3. *Squamae*. 4. Calycis *Foliola* aucta. 5. *Stamina* aucta. 6. *Pistillum* auctum. 7. *Drupa*. 8. *Nux*.

ORD. II. DIGYNIA.

GUMILLEA.

CAL. *Perianthium* campanulatum, quinquefidum: *laciniis* ovatis; acutis; inferum.

COR. nulla.

STAM. *Filamenta* quinque, filiformia, calyce longiora. *Antherae* subrotundae.

PIST. *Germen* obcordatum, semibifidum. *Styli* duo, subulati, reflexi. *Stigmata* acuta.

PER. *Capsula* ovata, bifida, birostris, bilocularis: rostris reflexis.

SEM. numerosa, parva, subrotunda.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula bilocularis, birostris, polysperma. *Calyx* campanulatus, sfidus.

Species unica. Frutex.

Genus dicatum *P. Josepho Gumilla* Societatis Jesu, qui fluvii Orinoci Historiam naturalem edidit Plantarum observationibus refertam.

EXPLIC. ICONIS VII. GUMILLEA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Stamina*. 4. *Pistillum*. 5. *Capsula*. 6. *Capsula* per medium secta. 7. *Semina*.

FRAGOSA.

CAL. *Umbella* simplex.

Involucrum octophyllum: *foliis* linearilanceolatis, acutis, ciliatis, longitudine fere umbellae; persistens.

Perianthium quinquedentatum: denticulis ovatis, acutis, erectis; persistens.

COR. universalis uniformis, radiata: *Flosculi* 8-14, omnes fertiles.

Propria: *Petala* quinque, ovata, integra, inaequalia, reflexa, perianthio longiora.

STAM. *Filamenta* quinque; subulata, erecta, longitudine corollulae. *Antherae* minimae, suborbiculatae, compressae, erectae.

PIST. *Germen* inferum, ovatum. *Styli* duo, filiformes, horizontaliter patentes. *Stigmata* simplicia.

PER. nullum: *Fructus* ovatus, compressiusculus, calyce coronatus, bipartibilis.

SEM. duo, ovata, compressa, utrinque plana, extus tristriata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Flores radiati, fertiles. *Involucrum* octophyllum. *Semina* ovata, striata.

Species sex. Herbae.

Genus dicatum *Joanni Fragoso*, Toletano, Philippi II. Regis Medico, et Chirurgo, nec non *Tractatus de aromatibus, arboribus, aliisque simplicibus medicinalibus*, quae ex India Orientali adsportantur, Auctori.

EXPLIC. ICONIS XXXIV. FRAGOSA.

1. *Umbella*. 2. *Involucrum*. 3. *Flosculus*. 4. *Perianthium* supra germen. 5. *Petala*. 6. *Stamina*. 7. *Pistillum*. 8. *Fructus*. 9. *Semen* exterius adspectum. 10. *Semen* interius adspectum.

BOWLESIA:

CAL. *Umbella* triflora: *flosculis* sessilibus. *Involucrum* nullum.

Perianthium obsolete quinquedentatum, superum.

COR. *Petala* quinque, aequalia, ovata, obtusa, patentia.

STAM. *Filamenta* quinque, filiformia, aequalia. *Antherae* subrotundae, didymae.

PIST. *Germen* tetragonum. *Styli* duo, subulati, erecto-patentes. *Stigmata* simplicia.

PER. nullum: *Fructus* tetragonus, subpyramidalis, truncatus, echinatus, bipartibilis.

SEM. duo, ovata, extus concava.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Flosculi fertiles. *Fructus* tetragonus, subpyramidalis. *Semina* echinata, extus concava.

Species unica. *Herba*.

Genus dicatum D. Guilielmo Bowles, Phylosopho Hyberno, praestanti, qui in Hispaniam Regia munificentia adscitus Regni Provincias lustravit, et *Introductionem in Hispaniae Historiam Naturalem, et Geographiam Physicam* dedit Matriti anno 1775. in 4.

EXPLIC. ICONIS XXXIV. BOWLESIA.

1. *Umbella* aucta. 2. *Flosculus* auctus. 3. *Perianthium* supra germen. 4. *Petala* 5. *Stamina*. 6. *Pistillum*. 7. *Fructus*. 8. *Semen* interius adspectum. 9. *Semen* exterius adspectum.

ORD. III. TRIGYNIA

MALESHERBIA:

CAL. *Perianthium* tubulosum, coloratum. *Tubus* longus, cylindricus, decemstriatus.

Limbus quinquepartitus: *laciniis* ovatis, acutis, ciliatis, patentibus.

COR. *Petala* quinque lanceolata, laciniis calycis breviora.

Nectarium: *Squamae* sex, tridentatae, fauci calycis affixae.

STAM. *Filamenta* quinque, filiformia, inaequalia, corolla longiora, receptaculo inserta. *Antherae* erectae, sagittatae.

- PIST.** *Germen* pedicellatum, columnare, triangulare, villosum. *Styli* tres, basi germinis affixi, filiformes, longitudine staminum. *Stigmata* obtusa.
- PER.** *Capsula* columnaris, triangularis, unilocularis, trivalvis.
- SEM.** plurima, minima.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla pentapetala. *Nectarium*: *Squamae* sex. *Styli* tres ad basim germinis. *Capsula* unilocularis. *Calyx* coloratus.

Species unica. *Herba*.

Genus nuncupatum *D. Lamoignon de Malesherbes*, non minus *Plantarum* cognitione, et *Botanicorum* patrocinio, quam stirpis antiquitate, animi celsitudine, et dignitatibus, quibus in *Gallia* functus est amplissimis, praeclaro.

Hujus Generis Fructificationis partium Iconem Lectorum oculis subijcere modo non licet, donec ejus jactura, quam cum octingentis aliis fecimus nunquam satis deplorando naufragio navis *S. Petri de Alcantara* ad scopulos *Peniche* in *Lusitania* oras postridie Kal. *Frebuararii* anno 1786. industria, et diligentia *Joannis Tafallae* Botanici, et *Francisci Pulgar* Pictoris, qui plantas in *Peruvia* explorare, describere, et delineare pergunt, reparetur.

CLAS. VI. ORD. I. HEXANDRIA MONOGYNIA.

POURRETIA.

- CAL.** *Perianthium* triphyllum: *foliolis* ovato-lanceolatis, marginibus convolutis, concavis, rigidis; inferum, persistens.
- COR.** *Petala* tria, lanceolata, erecta, superne patentia, spiraliter marcescentia.
- STAM.** *Filamenta* sex, subulata, erecta, corolla paulo breviora. *Antherae* sagittatae, erectae, petalorum altitudine.
- PIST.** *Germen* ovatum, obtuse trigonum. *Stylus* filiformis, triquetrus, sulcatus, longitudine staminum. *Stigmata* tria, subspiralia, acuta.
- PER.** *Capsula* ovata, obtuse trigona, trilocularis, trivalvis.
- SEM.** numerosa, oblonga, utrinque acutissima.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla tripetala cum staminibus sub marcescentia spiralis. *Calyx* inferus, triphyllus. *Antherae* sagittatae.

OBSERVATIO. I. *Calyces* statim a petalorum marcescentia clauduntur, et tunc pars superior petalorum, et staminum inter se spiraliter convolvitur, et marcida persistit usque ad capsulae dehiscentiam.

II. In *P. sympaganthera* *Antherae* in cylindrum connatae, in reliquis vero speciebus antherae liberae, sagittatae.

Species quatuor. Herbae.

Genus nuncupatum *D. Abbati Pourret*, magno Ruris Aginnensis (vulgo *du mas d'Agén*) Archidiacono, et Botanico praestanti, qui Narbone multa impensa, et studio Plantis undique conquisitis Hortum ditissimum, et Herbarium copiosissimum sibi, amicis, et reipublicae comparavit.

EXPLIC. ICONIS VII. POURRETIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petala*. 4. *Stamina*. 5. *Pistillum*. 6. *Capsula* cum calyce. 7. *Capsula* aperta cum calyce. 8. *Semina* (*).

A E C H M E A.

CAL. *Perianthium* duplex: *exterius* inferum, trifidum, campanulatum, coriaceum; *laciniis* subrotundis, obtusis, *tertia* mucronata: *interius* superum, tripartitum; *laciniis* ovatis, convolutis.

COR. *Petala* tria, lanceolata, apice reflexa, deorsum attenuata.

Nectarium: *Squamae* duae ovatae ad basim singuli petali.

STAM. *Filamenta* sex, filiformia, longitudine corollae. *Antherae* lineares.

PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum.

Stigma tripartitum: *laciniis* acutis.

PER. *Capsula* ovata, trilocularis, trivalvis.

SEM. plurima, obovata.

(*) Ex ipsamet *Pitcairniae* descriptione, quam Cavanilles extrahit a de L'Heritier *Serti Anglici* pag. 7. tab. II. colligitur, illud Genus a *Pourretiae* Genere notabilem in modum differre, ut arguit Ruizius in sua Resp. *Pitcairniae*, siquidem Calix est in tres lacinias divisus; *Pourretiae* autem constat tribus foliolis ovato-lanceolatis: illius Petala sunt linearia, ac spiralia, cum squama nectarifera in basi; istius tamen lanceolata, erecta, superne patentia, absque squama nectarifera & quae no-

ta utpote *Bromeliarum* propria est omni consideratione digna; illius Stigma bifidum; hujus Stigmata tria, atque notabiliter distincta: *Pitcairniae* Semina non dicuntur a Cavanillesio utrinque acutissima & quam notam quippe ad rei naturam pertinentem, non reliquisset indescriptam de L'Heritier; *Pourretiae* vero Semina sunt utrinque acutissima. Unde comparatio inter utrumque Genus a Cavanillesio facta, ut idem Genus esse probaret, videtur omnino supervacanea.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla tripetala. *Calyx* duplex: interior superus: exterioris lacinia tertia mucronata.

OBSERVATIO. Petala sub marcescentia spiraliter cum staminibus, et stylo convolvuntur.

Species unica. Herba.

Genus *Aechmea* a tertia calycis exterioris lacinia in mucronem desinente Graece nominavimus.

EXPLIC. ICONIS VIII. AECHMEA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx* duplex. 3. *Petala*. 4. *Stamina*. 5. *Pistillum*. 6. *Capsula* cum calycibus. 7. *Semina*.

HERRERIA (QUILA).

SALSA FEUILL. TOM. II. P. 716. ICON. 7.

CAL. nullus.

COR. sexpartita: laciniis lanceolatis, concavis, aequalibus, erecto-patentibus; tribus alternis vix angustioribus; infera, persistens.

STAM. Filamenta sex, subulata, fundo corollae inserta, hujus fere longitudine, erecta. Antherae subrotundae, biloculares, erectae.

PIST. Germen triquetrum. Stylus triquetrus, longitudine fere staminum. Stigma trigonum.

PER. Capsula triloba, triquetro-alata, acuminata, trilocularis, trivalvis: valvulis scariosis, extus transversim striatis.

SEM. 2, 3, 4 in singulis loculamentis inter se apposita, suborbiculata, plana, margine membranaceo, inaequali, nitido cincta.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla infera, sexpartita. *Capsula* triquetro-alata, trilocularis. *Semina* margine membranoso cincta.

OBSERVATIO. Genus inter *Asparagum*, et *Dracaenam*.

Species unica. Frutex.

Genus dicatum *Ildephonso de Herrera*, qui ex Scriptoribus Geoponicis, et ex propriis observationibus, experimentisque, opus de *Agricultura* singulari judicio, et diligentia Hispanice concinnavit, quod quidem iteratae editiones commendant.

EXPLIC. ICONIS XXXV. HERRERIA.

1. *Flos* integer. 2. *Corolla*. 3. *Stamina*. 4. *Pistillum*. 5. *Capsula*. 6. *Capsula* aperta. 7. *Semina*.

CLAS. VII. ORD. I. HEPTANDRIA MONOGYNIA

T O V A R I A.

CAL. *Perianthium* heptaphyllum : *foliolis* ovato-lanceolatis , radiatis , patentibus ; inferum , caducum .

COR. *Petala* septem , in stellae formam , obovata , breviter unguiculata , plana , patentia , *Disco* plano , heptagono , stellaeformi inserta .

STAM. *Filamenta* septem subulata , disco inserta , incurvata , germen ambientia , longitudine pistilli . *Antherae* oblongae .

PIST. *Germen* globosum , disco insidens . *Stylus* columnaris , brevis . *Stigma* peltatum , septemfidum : *laciniis* ovatis , radiatis .

PER. *Bacca* globosa , unilocularis , stigmate coronata , membrana tenuissima , septemnervi tecta .

SEM. plurima , reniformia , compressa , nidulantia . *Receptaculum* magnum , carnosum .

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla heptapetala . *Discus* planus , heptagonus , stellaeformis . *Bacca* unilocularis , pulposa .

OBSERVATIO . I. Numerus frequentissimus in Calyce , Corolla , Staminaque septenarius , interdum octonarius ; in Stigmate tam septenarius , quam senarius .

II. Differt a *Trientali Calyce* caduco ; *Staminibus* disco plano , stellaeformi insertis , incurvis , germen ambientibus ; *Stylo* columnari ; *Stigmate* peltato , septemfido ; *Bacca* coronata ; *Seminibus* reniformibus , nidulantibus .
Species unica . Suffrutex .

Genus nuncupatum D. Simoni *Tovario* , Medico , et Botanico Hispalensi non infimi ordinis , qui Carolo Clusio in patriam reduci plantas , et semina pluries misit , uti patet ex ejusdem epistolis ab eruditissimo viro , eodemque Botanico insigni , D. Ignatio de Asso hoc ipso anno 1794. , quo haec evulgamus , editis .

EXPLIC. ICONIS VIII. TOVARIA.

2. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petalum*. 4. *Discus*. 5. *Pistillum* cum staminibus disco insertis. 6. *Stamen*. 7. *Pistillum* cum disco. 8. *Bacca*. 9. *Bacca* per medium secta. 10. *Semina*.

ORD. VII. HEPTAGYNIA.

GILIBERTIA.

CAL. *Perianthium* septemdentatum, breve, superum, persistens.

COR. *Petala* septem, ovata, patentia.

STAM. *Filamenta* septem, subulata, erecta, longitudine petalorum :
Antherae ovatae.

PIST. *Germen* ovatum. *Styli* nulli. *Stigmata* septem, ovata, patentia.

PER. *Capsula*? ovata, loculamentis tot quot stigmata.

SEM. solitaria, oblonga.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx septemdentatus. *Corolla* heptapetala. *Germen* ovatum. *Capsulae* loculamenta monosperma.

OBSERVATIO. I. Numerus fructificationis partium aliquando octonarius, rarior novenarius.

II. Fructum immaturum offendimus, et ideo quae species Pericarpium sit, asserere nobis non licuit.

Species unica. Arbor.

Genus nuncupatum D. Joann. Emman. Gilibert, *Chloride Lugdunensi*, *Plantis Lithuaniae*, *Flora Delphinali*, aliisque operibus propriis editis, et Linnaeanis ipso accurante recensis praeclare de Re Herbaria merito.

EXPLIC. ICONIS VIII. GILIBERTIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx* cum pistillo. 3. *Petala*. 4. *Stamina*. 5. *Germen* a calyce liberum. 6. *Pericarpium*. 7. *Pericarpium* per medium sectum, loculamenta ostendens. 8. *Semina* (*).

(*) Hoc Genus, et praecedens a Cavanillesio impugnantur, eo quod, ut ait, absque ullo criterio sint constituta. Quum enim unica sit uniuscujusque praedicti generis species, nequit constanter in *Tovaria stigma peltatum*, et *septemfidum* esse character genericus; nec in *Gilibertia stigmata septem*, dum numerus partium fructificationis est aliquando octonarius, raro novenarius, ut supra in *Observat.* dicitur. Ad haec reponit Ruizius, numerum stigmatum, ceterarumque partium fructificationis in *Gilibertia*, nec non et laciniarum stigmatum in *Tovaria* parum, aut nihil interesse Botanici: sed ut omnibus, etiam non

Botanicis, rigidam Cavanillesianam crism infirmam esse, melius innotescat, addit idem Ruizius, nullum rationis momentum esse adversario contendenti; quod, quia Genus unicam speciem notam habet, praeferrere non debet ad characteris generici constructionem numerus communior (atque adeo plus naturalis) partium fructificationis numero indeterminato Petalorum, Staminum, Stigmatum etc. Omnibus quidem satis notum est, nullum esse characterem genericum optime constitutum, aut omnino firmum, nisi omnes Generis species detegantur, et cognoscantur. Ob id enim Botanicorum facile Princeps Linnaeus statuit

ACTINOPHYLLUM.

CAL. *Perianthium* : Margo membranaceus , minimus , integer , superus , persistens.

COR. monopetala , calyptraeformis , in erectione staminum a margine calycis elastice dissiliens .

STAM. *Filamenta* septem , filiformia , patentia . *Antherae* ovatae .

PIST. *Germen* parvum , truncatum . *Styli* septem , brevissimi , radiatim positi . *Stigmata* simplicia .

PER. *Bacca* heptagona , septemlocularis , calyce , stylisque coronata .

SEM. solitaria , oblonga , semiossea .

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx : Margo integer . *Corolla* calyptraeformis . *Germen* truncatum . *Bacca* septemangularis , septemlocularis .

OBSERVATIO . I. Numerus frequentior in hoc Genere septenarius est , licet interdum variet . Numerus staminum numero stylosum , et *Baccae* loculamentorum respondet . In *Act. angulato* numerus stylosum quaternarius , senarius , vel quinquarius , rarissime septenarius .

II. Ad hoc genus redigi debet *Sciodaphyllum* Brown. p. 190. tab. 19. f. 1. 2. Species quinque . Arbores , et Frutices .

Genus *Actinophyllum* a foliolis radiatim , et quasi in orbem ad petiolorum communium apices positis Graece nominavimus .

EXPLIC. ICONIS VIII. ACTINOPHYLLUM.

1. *Flos* integer clausus . 2. *Flos* absque corolla . 3. *Corolla* . 4. *Stamina* aucta . 5. *Pistillum* . 6. *Bacca* . 7. *Bacca* per medium secta loculamenta ostendens . 8. *Semina* .

F

Canonem 193 , in sua Philos. Bot. ubi ait : *Nullus character infallibilis est , antequam secundum omnes suas species directus est .* Unde opus est , ut juxta praedictorum Generum in posterum detegendas , atque observandas ultiores species , eorum character genericus aut reformetur , aut melius constituitur . Interea tamen dum futurae illae species non deteguntur ab aliquo alio Naturalista , optime auctoribus *Florae* visum fuit , omnes prioris jam detectae speciei characteristicas notas in unum redigere , ac novum illud Genus constitutere , plantarumque anomalias posterioribus observationibus commendare . Praxis enim haec

est , concludit Ruizius , et Linnaei , et ejus asseclorum , ut videre licet in *Gahnia* , *Scheuchzeria* , *Trientali* , *Forskolea* , *Styrace* , *Chrysosplenio* , etc. quos imitari non piguit eundem Cavanillesium in suis novis Generibus , *Franseria* , *Phoenix humilis* , aut *Chamoerops* , et aliis . Nam quamvis praedicta *Franseria* sit ejusdem Generis naturalis cum *Ambrosia* Linn. et habeat 2 , 3 , et 4 stylos , postremum elegit numerum , ut aliud Genus crederetur : et in *Chamoerops* , ubi a 3 usque ad 6 Germina reperiuntur , in ejus charactero generico 3 dumtaxat ipse describit .

CLAS. VIII. ORD. I. OCTANDRIA MONOGYNIA.

N E E A.

- CAL. *Perianthium* nullum, nisi *Squamae* duae, tresve sub singulo flore.
- COR. tubulosa. *Tubus* oblongus. *Limbus* vix apertus, 4-5 dentatus.
- STAM. *Filamenta* octo, filiformia: *alternantia* longiora; fundo corollae inserta, corolla breviora. *Antherae* ovatae, biloculares, apice basique inaequales.
- PIST. *Germen* oblongum, parvum. *Stylus* subulatus, apice curvatus, longitudine staminum breviorum. *Stigma* simplex, acutum.
- PER. *Drupa* oblonga, monosperma, corolla, stylo, staminibusque coronata.
- SEM. *Nux* oblonga, striata. *Nucleus* oblongus, tunicis tribus involventibus constans.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla tubulosa. *Stamina* corolla breviora, quatuor alternantia longiora. *Drupa* monosperma. *Nucleus* tunicatus.

OBSERVATIO. I. Maxime singulare est in hoc Genere, corollam coronare drupam, cum corolla in florescentia includat germen.

II. *Squamae* tres sub singulo flore in *N. verticillata*, et corolla quinque-dentata: in *N. oppositifolia* corolla quadridentata, *Squamae* duae tantum. Species duae. Frutices.

Genus dicatum D. Ludovico Née, in Expeditione D. Alexandri Malaspina circum orbem, Botanico, quem artis peritia, et in laboribus adeundis alacritas valde commendant.

EXPLIC. ICONIS IX. NEEA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla*. 4. *Corolla* scissa, stamina, et pistillum ostendens. 5. *Stamina*. 6. *Pistillum*. 7. *Drupa*. 8. *Drupa* per medium secta. 9. *Nux*.

ORD. III. TRIGYNIA.

CORNIDIA.

- CAL. *Perianthium* campanulatum, germi accretum, obtuse trigonum, integerrimum, persistens.
- COR. *Petala* quatuor, ovata, concava, sessilia, decidua, margini calycis inserta.

STAM. *Filamenta* octo, filiformia, margini calycis inserta, patentissima. *Antherae* ovatae, biloculares.

PIST. *Germen* tripartitum, *Styli* tres, breves, subulati, patentes, persistentes. *Stigmata* simplicia, acuta.

PER. *Capsula* trifida, tricorniculata, trilocularis, trivalvis.

SEM. plurima, minima, cuneiformia.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx campanulatus, obtuse trigonus, integerrimus. *Corolla* 4 petala. *Capsula* 3 corniculata, 3locularis.

OBSERVATIO. Nonnulli *Flores* reperiuntur pentapetali, et tunc *Germen* quadripartitum, *Styli* quatuor, *Capsula* quadrifida, quadricorniculata, quadrilocularis, quadrivalvis.

Species unica. Arbor.

Genus nuncupatum D. *Josepho Cornide*, qui in *Specimine Piscium Gallaeciae Historiae*, aliisque lucubrationibus, Matritensibus typis divulgatis, omnis antiquitatis, et naturae operum sedulum, doctumque scrutatorem se praebet.

EXPLIC. ICONIS XXXV. CORNIDIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx* cum pistillo. 3. *Petala*. 4. *Stamina*. 5. *Pistillum* cum calyce. 6. *Capsula*. 7. *Capsula* aperta. 8. *Semina*.

SEMARILLARIA.

CURURU PLUM. GEN. PLANT. P. 34. T. 35.

CAL. *Perianthium* tetraphyllum: *foliolis* ovato-subrotundis, concavis, *lateralibus* brevioribus, *inferiori* magis concavo; inferum, persistens.

COR. *Petala* quatuor, oblonga, calyce paulo longiora, duo distantiora.

Nectarium tetraphyllum, *foliolis* subrotundis, basi uniglandulosis.

STAM. *Filamenta* octo, filiformia, *annulo* vix notabili cum germine *increscenti* inserta, infimo *foliolo* calycis *incumbentia*, ejusque longitudine. *Antherae* ovatae, biloculares, erectae.

PIST. *Germen* obovatum, trigonum. *Styli* tres, subulati, breves. *Stigmata* simplicia, acuta.

PER. *Capsula* obovata, obtuse trigona, unilocularis, trivalvis, *trisperma*: *valvulis* lignosis, crassis, concavis, extus carnosis.

SEM. ovalia, *Arillo* carnosio semi-involuta, disjuncta, ad basim receptaculi inserta.

Receptaculum centrale, trigonum, obovatum, coloratum, lignosum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla: petala quatuor. *Calyx* tetraphyllus. *Capsula* unilocularis, trisperma. *Semina* arillata. *Receptaculum* centrale, trigonum.

OBSERVATIO. I. Differt a *Pauliniae* Genere Linnaei in omnibus *Fructus* partibus: ceteris cum illo convenit.

II. *Sem. subrotundae, et obovatae Capsulae* obtuse trigonae, trispermae, trivalves: *Capsulae S. acutangulae* acute trigonae, angulis fere alatis, superne trivalves, *Semen* unicum adolefcit, *Receptaculum* obliteratur: *S. subrotundae Capsulae* fere subrotundae, superne trivalves: *Capsulae S. obovatae* inferne trivalves.

Species tres. Frutices scandentes.

Genus *Semarillaria* a singulo semine arillo semicincto nominavimus.

EXPLIC. ICONIS IX. SEMARILLARIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx* cum pistillo, staminibus, et nectario. 3. *Petala*. 4. *Nectarii Foliola* aucta cum glandula ad basim. 5. *Stamina* annulo inserta. 6. *Stamen* auctum. 7. *Pistillum*. 8. *Capsula* superne dehiscens. 9. Altera *Capsula* alterius speciei, inferne dehiscens. 10. *Semina* ad basim receptaculo affixa. 11. *Semina* cum arillo. 12. *Semen* absque arillo. 13. *Arillus*. 14. *Receptaculum*.

ORD. IV. TETRAGYNIA.

PORLIERIA (TURUCASA).

CAL. *Perianthium* tetraphyllum: *foliolis* oblongis, concavis, erectis; inferum, deciduum.

COR. *Petala* quatuor, obovata, unguiculata, concava, erecta, aequalia, caduca.

Nectarium: *Squamae* octo, cuneiformes, incurvae, emarginatae, apice reflexae, deciduae.

STAM. *Filamenta* octo, subulata singula singulae squamae insidentia. *Antherae* ovatae, biloculares.

PIST. *Germina* quatuor, oblonga, connata. *Styli* subulati, erecti, inter se adpressi. *Stigmata* acuta, simplicia.

PER. *Drupae* quatuor, oblongae, gibbae, connatae.

SEM. *Nux* oblonga, gibba, unilocularis. *Nucleus* ejusdem figurae.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx tetraphyllus. *Nectarium*: *Squamae* octo. *Petala* obovata, unguiculata. *Stamina* aequalia. *Drupae* quatuor, connatae.

OBSERVATIO. Differt a *Galvezia* *Calyce* tetraphyllo, *Nectario* squamis octo, *Petalis* obovatis, unguiculatis, *Staminibus* aequalibus; *Drupis* connexis. Species unica. Frutex.

Genus nuncupatum Ex. D. Antonio Porlier, Marchioni de Baxamar, qui quamdiu Indica negotia apud Regem administravit, nos in Hortum R. Matrit. cooptandos, operisque editionem apparandam pro sua erga litteras benevolentia curavit.

EXPLIC. ICONIS IX. PORLIERIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calix*. 3. *Petala*. 4. *Stamina* cum squamis. 5. *Germen*. 6. *Drupae* quatuor connexae. 7. *Drupa* segregata. 8. *Nux* (*).

GALVEZIA (PITAO).

CAL. *Perianthium* tetraphyllum: *foliolis* parvis, ovatis; inferum, deciduum.

COR. *Petala* quatuor, oblonga, sessilia, concava, reflexo-patentia.

STAM. *Filamenta* octo, subulata, quatuor alternantia breviora. *Antherae* ovatae.

PIST. *Germina* quatuor, ovata, connexa, corpori glanduloso, oblongo insidentia. *Styli* subulati, adpressi. *Stigmata* simplicia.

PER. *Drupae* quatuor, obovatae, gibbae, punctatae.

SEM. *Nux* obovata, unilocularis. *Nucleus* ejusdem figurae.

(*) Liceat hujus Peruviani Fruticis, ejus semine gaudet Hortus noster Vaticano-Indicus, unam saltem mirabilem proprietatem in Physiologorum gratiam praenotare. Praesagit enim an caelum futurum sit serenum, an pluvium; quare in altero hujus Florae tomo, *Porlieria hygrometra* nuncupatur. Etiam cl. Vir D. Casimirus Gomez Ortega eum observavit: atque ex propria experientia sic habet: „*Porlieria*, Genus novum Florae Peruv., quod

„ in Hort. Reg. Matrit. Caldario hospitatur.
„ mirando spectaculo serenitatem, et pluviam
„ multo ante praemonstrat. Nam quotiescun-
„ que Folia contrahit hora solita, id est pau-
„ lo ante occasum solis, indicat serenitatem
„ diei subsequens: et rursus si ea contrahit
„ hora una ante illud tempus, pluviam po-
„ stridie futuram portendit, et illa die se-
„ rius etiam folia explicat. „ In Linn. Philos.
„ Botan. Annot. edit. Matriti 1792. pag. 408.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx quadripartitus. *Petala* sessilia. *Stamina* inaequalia. *Corpus* glandulosum sub germine. *Drupae* quatuor.

OBSERVATIO. *Glandula* primo intuitu germinis speciem refert. *Drupae* duae saepe abortiunt, quandoque unica tantum ad maturitatem pervenit. Species unica. Arbor.

Genus dicatum Ex. D. *Josepho de Galvez*, Sonorae Marchioni, universorum Indiarum negotiorum Administro, Expeditionis nostrae apud Regem magnanimo, et munifico auctori, et fautori, cujus nomini hoc grati animi monumentum consecramus, exclusa *Galvezia* Gen. plant. *Jussiei* ex Dombey MS., quoniam illa planta ab ipso Dombeyo, nobisque accuratius observata, eam *Dodartiae* speciem esse animadvertimus.

EXPLIC. ICONIS XXXV. GALVEZIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petala*. 4. *Stamina*. 5. *Pistilla* corpori glanduloso insidentia. 6. *Corpus* glandulosum. 7. *Pistilla*. 8. *Drupae*. 9. *Drupa* segregata. 10. *Nux*. 11. *Nucleus*.

CLAS. X. ORD. I. DECANDRIA MONOGYNIA.

FOVEOLARIA.

CAL. *Perianthium* campanulatum, breve, quinquedentatum, inferum, persistens.

COR. *Petala* quinque, lineari-lanceolata, ad apicem nectarii adnata, revoluta, punctata.

Nectarium: *Tubus* cylindricus, longitudine calycis, ex filamentis inferne usque ad medium connatis, superne distinctis.

STAM. *Filamenta* decem, subulata, superne libera, inferne in tubum brevem connata, interne angulo prominenti, sulcato notata. *Antherae* lineares, per paria approximatae, biloculares, interius longitudinaliter dehiscentes, post dehisceniam punctis setaceo-stellatis adpersae.

PIST. *Germen* ovatum, superne 10-striatum, tomentosum. *Stylus* filiformis, staminibus longior. *Stigma* capitatum, trigonum, tristriatum.

PER. *Drupa* obovata, carnosae, interne tribus dissepimentorum ru-

dimentis, brevissimis, distantia aequali longitudinaliter per parietes decurrentibus.

SEM. solitarium, obovatum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx campanulatus, inferus. *Petala* revoluta, punctata. *Nectarium* tubulosum. *Drupa* obovata.

OBSERVATIO. Tria veluti dissepimentorum rudimenta in *Drupa* apparent, quae tria ferme loculamenta exhibent, cum germen adultum transversim secatur: quod sedulo notandum, ne sit erroris occasio.

An ad hoc genus referri debet *Strigilia* Cavanilles, *dissert.* 7.p. 358. t. 201. Species tres. Arbores.

Genus *Foveolaria* a foveolis, quae in dorso foliorum ad venarum bases, nec non in calyce, et corolla observantur, appellavimus.

EXPLIC. ICONIS IX. FOVEOLARIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petala* nectario adnata. 4. *Petalum*. 5. *Nectarium* cum staminibus. 6. *Stamen* cum angulo inferne prominenti. 7. *Stamen* valde auctum, puncta antherae stellaeformia ostendens. 8. *Pistillum* cum calyce. 9. *Pistillum* cum calyce auctum. 10. *Drupa*. 11. *Drupa* cum nuce per medium secta. 12. Pars superior *Drupae* tria rudimenta dissepimentorum ostendens. 13. *Nux* (*).

(*) Opponit Cavanillesius, quod hoc Genus magis proprie in Monadelphiae, quoniam ejus Stamina in unum corpus coalita sunt, quam in Decandriae Classe collocari debuerat: uti profecto ad hanc classem reduxerat Linnaeus Genera *Mahernia*, *Geranium*, et alia similia.

Reponit Ruizius, praedictum Genus non in Monadelphiae, optime vero in Decandriae Classe collocari: et propter ejus Stamina insertionem, quae ab Stamina insertionem Monadelphiarum omnino diversa est, et propter alias ejusdem fructificationis notas, quae Decandrarum magis propriae sunt. Deinde Genus *Mahernia* minime est a Linnaeo ad Monadelphiae, sed ad Pentandriae classem revocatum; Genus autem *Geranium*, etsi in Monadelphiae Classe collocatum; nullam tamen habet similitudinem ejus Stamina insertio cum Stamina insertionem Generis *Foveolariae*. Unde nec ratio, nec paritas suffragantur Cavanillesio.

Sed rursus Cavan. (propter verba illa *Observationis*: An ad hoc Genus referri debet *Strigilia* Cavanilles etc.?) sic ratiocinatur: *Strigilia*, et *Foveolaria* differuntne inter se fructu, an secus? Si differunt, nunquam *Stri-*

gilia ad *Foveolariam* amandari potest. Si non differunt, *Foveolaria*, quia posterior, supprimi debet juxta Linn. Can. 245. *Phil. Bot.* Nomen genericum unius generis, nisi supervacaneum, in aliud transferri non debet, licet eidem aptius competere. Respondet Ruizius: praecitatum Can. non opportune hic adduci. Auctores enim *Florae* non transferunt nomen genericum *Strigiliae* in *Foveolariam* ea dumtaxat ratione, quod id eidem competat; sed praecipue, quod character genericus, quem tribuit Cavanillesius huic plantae, quam *Strigiliam* nominavit, nullatenus eidem congruit. Praeprimis supponendum: utramque plantam esse specificè eandem, ut ex nostrorum observationibus in viva planta, et ex sicci speciminis, ac figurae a Cavanillesio, et *Florae* allatae comparatione satis constat. Deinde advertendum, magnam quidem esse diversitatem characteris generici in descriptione utriusque plantae: nam Cavanillesius describit suae *Strigiliae* calicem, corollam, stamina, germen, etc. omnino diversa a calice, corolla, staminibus, germine etc. *Foveolariae*. Item ait Cavan. *Fructus, ex embryonis anatome videtur*

GODOYA (LAUPE).

CAL. *Perianthium* pentaphyllum: *foliolis* ovatis, emarginatis, concavis, imbricatis; inferum, coloratum, deciduum.

COR. *Petala* quinque, obovata, emarginata, caduca.

Nectarium: *Cilia* numerosa inter petala, et calycem, in quinque series alternantes disposita.

STAM. *Filamenta* decem, brevia, compressa, receptaculo inserta.

Antherae oblongo-lineares, apice poris duobus pollen effundentes.

PIST. *Germen* oblongo-lineare, pentagonum, incurvum. *Stylus* nullus. *Stigma* quinqueangulare.

PER. *Capsula* oblonga, pentagona, quinquelocularis, angulis interne quinquevalvis: *valvulis* lignosis, linearibus, extrorsum dehiscentibus, margine membranaceis.

SEM. plurima, oblonga, imbricata, ala lanceolata cincta. *Receptacula* quinque, filiformia, utrinque fibrosa: fibris suboppositis, exterius marginibus valvularum affixis, reticulatis.

Capsula sexlocularis, seminibus solitariis. Haec etiam sola descriptio verum hujus plantae characterem infirmare videtur. Quae enim anatome fieri potest in fructus embrione sicco, et grani sinapis magnitudinem non excedente? Quidquid id sit, qui plantam vivam observarunt, diversissime eam descripserunt, ut patet.

Postremo notatu dignum, quod avertit Cavanilles in suae *Strigiliae Racemosae* descriptione. Sic enim ait: *Corolla* (quam semper vidi clausam in sicco etc.): et ad descriptionis calcem: *Planta ulterius in Patria examinanda, ut perfecte cognoscatur.* Quod in ulterioribus suarum impugnationum scriptis repetit: *Plantam ulterius examinandam dixi, quia fructibus (ac floribus explicatis addere poterat) orbatam conspexi.* Si ergo Cavanillesius alioquin bonus philosophus, et optimus botanicus hanc plantam nec vivam, nec in Patria examinavit, sed in sicco specimine, et semper floribus, ac fructibus orbatam conspexit, ut ipse fatetur, atque adeo eam non perfecte cognovit; quid mirum, quod eidem proprium, ac verum characterem genericum non tribuerit? Ex his omnibus satis superque

constare videtur, quis sit sensus illius interrogationis, quae potius moderationis, quam oscitantiae gratia est in *Observat.* apposita: *An hoc genus etc.?*

Verum Cavanillesius, hac interclusa via, aliam arripit. Si ergo, inquit, *Foveolaria* ad Genus *Strigiliae* non refertur, ad Genus *Stirax* referri debet. Notae enim characteris differentialis *Foveolariae* apprimè competunt Generi *Stirax*. Respondet Ruizius, quod *Foveolaria* quamvis *Stiraci* sit affinis, et ejusdem Classis; nihilominus nonnullas habet characteris generici notas diversas ab *Stirace*; nempe in calyce, corolla, staminibus, germine, drupa etc., ut cuicumque utrumque Genus consideranti manifestum fiet.

Haec quamquam ita sunt, tamen Ruizius sincere in sua Resp. fatetur, se libenter suas *Foveolarias* ad *Stiracis* genus redacturum, si in posterum inventis aliis *Stiracis* speciebus, iisque vivis ab aliquo Botanico observatis, ita in Specierum concursu corrigatur hujus Generis character, ut etiam Generi *Foveolariae* conveniat. Docilitas haec vere Botanicis familiaris est, atque in omnibus esset optanda.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx pentaphyllus, coloratus. *Nectarium*: *Cilia* in 5-series. *Antherae* poris duobus pollen effundentes. *Stigma* 5-angulare. *Capsula* quinquelocularis. *Semina* imbricata, alata.

OBSERVATIO. *Godoya spathulata* staminibus plurimis (fere 40): *G. oblonga* decem tantum gaudet; ideo hoc Genus tam ad Polyandriam, quam ad Decandriam referri posset; nos autem ob florum cum *Cassia*, ceterisque Generibus ei affinis similitudinem ad classem decimam retulimus. Novarum specierum detectio litem dirimere poterit.

Species duae. Arbores.

Genus nuncupatum Ex. D. *Emmanueli* Godoy beneficentissimo R. Horti Botanici Matritensis Patrono.

EXPLIC. ICONIS XI. GODOYA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petalum*. 4. *Pistillum* cum nectario, et staminibus. 5. *Nectarium*. 6. *Stamen*. 7. *Pistillum*. 8. *Capsula*. 9. *Capsula* aperta. 10. *Valvula* externe adspecta. 11. *Altera* interne visa, semina ostendens. 12. *Semina*. 13. *Receptacula*.

CUELLARIA.

CAL. *Perianthium* quinquepartitum: *laciniis* ovatis, concavis, erectis; inferum, persistens.

COR. *Petala* quinque, obovata, concava, erecta, aequalia, conniventia, calyce longiora.

STAM. *Filamenta* decem, subulata, inferne dilatata, compressa, receptaculo, et unguibus petalorum vix inserta, incurva, corolla breviora. *Antherae* oblongae, incumbentes, biloculares, superne bifidae, biperforatae.

PIST. *Germen* depressum, trigonum. *Stylus* brevis, trigonus, erectus, persistens. *Stigma* trilobum.

PER. *Capsula* depressa, obtuse trigona, triloba, trilocularis, trivalvis, angulis dehiscens.

SEM. plurima, imbricata, oblonga, plana, margine membranaceo, squamoso cincta.

Receptacula subrotunda, brevi columnae adnata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx quinquepartitus. *Petala* quinque, aequalia. *Stylus* trigonus. *Stigma* trilobum. *Capsula* trigona, trilocularis. *Semina* imbricata, membranacea.

OBSERVATIO. Differt a *Clethrae* Genere Linnaei, cui valde affine, *Petalis* aequalibus, *Filamentis* compressis, *Antheris* superne bifidis, biperforatis, *Stylo* trigono, brevi, *Stigmate* trilobo, *Capsula* trigona, depressa, *Seminibus* imbricatis, planis, margine membranaceo, squamoso cinctis, *Receptaculis* subrotundis.

Species duae. Arbores.

Genus dicatum D. Joanni Cuellar, Botanico Regio, qui a R. Philippinarum Insularum Negotiatorum Societate Manilam raro erga scientias liberalitatis exemplo missus *Lauri Cinnamomi*, *Myristicae*, *Piperis nigri* culturam promovet, novisque inventis mercaturam, tingendi artem, et Botanicen locupletat.

EXPLIC. ICONIS X. CUELLARIA.

1. *Flos* patens. 2. *Flos* erectus. 3. *Calyx*. 4. *Petalum*. 5. *Stamen* auctum. 6. *Stamina* magnitudinis naturalis. 7. *Pistillum*. 8. *Capsula* cum calyce. 9. *Capsula* aperta cum calyce. 10. *Semina*. 11. *Receptacula*.

MICONIA.

CAL. *Perianthium* 5-dentatum: *denticulis* ovatis, obtusis; inferum, persistens.

COR. *Petala* quinque, obovata, calyci insidentia.

Nectarium: *Squamae* quinque, minimae, bifidae, singulae sub binis filamentis, germen coronantes.

STAM. *Filamenta* decem, infra ungues petalorum, filiformia, compressa, petalis inferioribus incumbentia. *Antherae* subulatae, erectae, plicatae, postice calcaratae.

PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* subulatus, longitudine, et situ staminum. *Stigma* simplex, acutum.

PER. *Capsula* ovata, decemstriata, calyce nectarioque coronata, 5-locularis, longitudinaliter quinquevalvis.

SEM. plurima, minutissima, subscobiformia.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx 5-dentatus. *Nectarium*: *Squamae* quinque. *Antherae* plicatae, calcaratae. *Capsula* 5-locularis. *Semina* subscobiformia.

OBSERVATIO. In *Miconia pulverulenta* plurimi flores hexapetali, nonnulli heptapetali, et octopetali reperiuntur, quorum numerus numero denticulorum calycis, et loculamentorum capsulae respondet; et pari ratione staminum numerus augetur.

Species tres. Frutices.

Genus nuncupatum D. *Micon*, Barcinonensi Medico egregio, et Botanico haud ignobili, ut patet ex *Jacobi Dalechampii Historia Plantarum Lugdunensi*, ad quem earum figuras, descriptiones, et virium a se exploratarum notitiam mittebat.

CHAETOCRATER.

CAL. *Perianthium* campanulatum, quinquepartitum: *laciniis* ovatis.
COR. nulla.

Nectarium crateriforme, germen ambiens, setis decem, filiformibus coronatum.

STAM. *Filamenta* decem filiformia, *alternantia* longiora; ori nectarii inserta. *Antherae* ovatae, didymae.

PIST. *Germen* ovatum, subtrigonum, superum. *Stylus* filiformis, brevis. *Stigmata* tria, capitata.

PER. *Capsula?* unilocularis.

SEM. nonnulla, parva.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx quinquepartitus. *Nectarium* crateriforme, setis decem coronatum. *Stamina* nectario inserta. *Capsula?* unilocularis.

OBSERVATIO. *Pericarpium* tenerrimum offendimus, et ideo, quaenam species pericarpium esset, determinare nobis non licuit: *Germen* autem pericarpium uniloculare denotat, et potius *Capsulam*, quam *Pericarpium* diversae speciei.

Species unica. Arbor.

Genus *Chaetocrater* a *Nectario* crateriformi, et *setoso* Graece nominavimus.

EXPLIC. ICONIS XXXVI. CHAETOCRATER.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Nectarium* cum setis. 4. *Stamina*. 5. *Pistillum*. 6. *Germen* transversim sectum. Omnia aucta.

GOMORTEGA (QUEULE).

CAL. *Perianthium* nullum.

COR. *Petala* septem, obovata, concava, quatuor exterioribus, basi connata, infera, decidua.

STAM. *Filamenta* decem, compressa, triplici ordine disposita, a primo filamento exteriori longiori ad decimum interius gradatim breviora. *Antherae* oblongae, utrinque margini filamentorum adnatae. *Glandulae* duae ad basim singuli filamenti, pedicellatae.

PIST. *Germen* minimum, ovatum. *Stylus* subulatus, compressiusculus, utrinque sulcatus, longitudine staminum. *Stigmata* duo vel tria, patentia, acuta.

PER. *Drupa* obovata, carnosae, unilocularis.

SEM. *Nux* obovata, durissima, crassa, 2-3-locularis, striis tribus, quatuorve notata. *Nuclei* obovati, compressi.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla heptapetala. *Stylus* sulcatus. *Drupa* unilocularis. *Nux* durissima, 2-3-locularis. *Nuclei* compressi.

OBSERVATIO. In quibusdam floribus stamina rarissime undecim reperiuntur, et tunc exteriora duo eglandulata. *Nucis* loculamenta tot quot stigmata. *Nux* basi vel obtusa, vel acuminata. *Nucleus* unicus saepe adolescit. Species unica. Arbor.

Genus nuncupatum D. D. Casimiro Gomez Ortega, in Horto R. Botanico Matritensi Professori primario, et praeceptori nostro studiosissimo, qui praeter alia scripta, *Linnaei Philosophiam Botanicam Commentariis suis atque pretiosis annotationibus explanavit*, et edidit Matriti anno 1792.; in multis aliis rebus in Hispania, et utraque India optime etiam de Botanica meritis.

EXPLIC. ICONIS X. GOMORTEGA.

1. *Flos* integer antice adspectus. 2. *Calyx* postice visus. 3. *Petala*. 4. *Stamina* cum glandulis. 5. *Pistillum*. 6. *Drupa*. 7. *Drupa* per medium secta. 8. *Nux*. 9. *Alia Nux*. 10. *Nux* per medium secta, loculamenta ostendens. 11. *Nuclei* (*).

(*) Idem hic opponit Cavanillesius, quod in *Gonzalagunia*, et *Juanulloa*: nominatim, quod jam extet in Linnaeo alia Ortega.

Idem igitur hoc loco, quod in illis duobus nominibus genericis ex Ruizio respondendum. In Linn. Generibus minime Ortega, et multo minus Gomortega, sed solum *Ortega* reperitur. Genus hoc fuit nuncupatum

Josepho Ortega; illud vero est dicatum Casimiro Gomez Ortega illius dignissimo nepoti, huiusque *Florae* auctorum meritissimo Praeceptori, Linnaei, ac scientiae Botanices illustratori. Unde haec duo Genera nomine, re, et objecto, toto caelo differunt. Videsis notationes nostras ad *Gonzalaguniam*, et *Juanulloam*.

CLAS. XI. ORD. I. DODECANDRIA MONOGYNIA.

BAITARIA.

CAL. *Perianthium* tetraphyllum: *foliolis duobus inferioribus* subulatis, longioribus, a superioribus remotis; *duobus superioribus* lanceolatis, quadruplo latioribus; inferum, persistens.

COR. tubulosa. *Tubus* longitudine calycis, erectus, cylindricus. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* lanceolatis, patentibus.

STAM. *Filamenta* octodecim, capillaria, erecta: *alternantia* paulo breviora; basi corollae inserta, longitudine tubi. *Antherae* oblongo-lineares, inferne bifidae, incumbentes, biloculares.

PIST. *Germen* ovatum, superum. *Stylus* subulatus, erectus, longitudine staminum. *Stigma* trifidum.

PER. *Capsula* ovata, acuminata, triquetra, trilocularis, trivalvis.

SEM. plura, sublentiformia. *Receptacula* valvularum parietibus adnata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx tetraphyllus, biformis. *Corolla* tubulosa. *Capsula* triquetra, trilocularis.

OBSERVATIO. Numerus staminum variat a 14 ad 19.

Species unica. Herba.

Genus dicatum Hispano-Arabi *Baitar*, seu *Abenbitar* Malacitano, insigni Botanophilo, quem ex Asiae, et Africae peregrinationibus in Hispaniam redux plura de Plantis volumina scripsisse, memoriae proditum est. *Videsis Tournesortii Isagog.* pag. 18.

EXPLIC. ICONIS XXXVI. BAITARIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla*. 4. *Stamina*. 5. *Pistillum*. 6. *Capsula* cum calyce. 7. *Capsula* clausa. 8. *Capsula* aperta. 9. *Semina*.

TRICUSPIDARIA (PATAGUA).

CAL. *Perianthium* campanulatum, quinquedentatum: *denticulis* brevibus, utrinque *denticulo alio* obsoleto notatis; inferum, dilaceratum decidens.

COR. *Petala* quinque, cuneiformia, tricuspidata, inferne triplicata. *Nectarium*: *Annulus* decemangularis, persistens.

STAM. *Filamenta* quindecim, filiformia, corolla breviora, receptaculo inter germen, et nectarium inserta. *Antherae* approximatæ, lineares, tetragonæ, biloculares, apice biperforatæ.

PIST. *Germen* trigonum, obovatum. *Stylus* subulatus, erectus, staminibus brevior.

Stigma simplex, acutum.

PER. *Capsula* oblonga, trigona, trilocularis, trivalvis: *valvulis* patentibus.

SEM. nonnulla, obovata, subtrigona.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx quinquedentatus. *Petala* 5, tricuspidata, inferne triplicata. *Nectarium* annulare. *Antherae* biperforatæ. *Capsula* trilocularis.

OBSERVATIO. I. *Corollae* nonnullae hexapetalae inveniuntur, tuncque *Stamina* viginti, et *Capsulae* quadriloculares.

II. Hujus Arboris nomine vernaculo (*Patagua*) *Molina* plantae Genus Chili indigenae insignivit diversissimum a nostro.

Species unica. Arbor.

Genus *Tricuspidaria* a petalis tricuspidatis nominavimus.

EXPLIC. ICONIS XXXVI. TRICUSPIDARIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petalum* interne adspectum. 4. *Nectarium*. 5. *Stamen* poris antherae clausis. 6. *Stamen* poris antherae apertis. 7. *Stamen* angulos quatuor antherae exhibens. 8. *Pistillum*. 9. *Capsula*. 10. *Capsula* aperta. 11. *Semina*.

TALINUM.

CAL. *Perianthium* subanceps, diphyllum: *foliolis* ovatis, concavis; inferum, persistens.

COR. *Petala* quinque, obcordata, plana.

STAM. *Filamenta* ab uno ad plurima, filiformia, corolla breviora. *Antherae* ovatae.

PIST. *Germen* ovatum, superum. *Stylus* cylindricus, longitudine staminum. *Stigmata* tria, simplicia.

PER. *Capsula* ovata, unilocularis, trivalvis.

SEM. plurima, suborbiculata, parva, pedicellata, *Receptaculo* libero, lineari affixa.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx diphyllus. *Capsula* unilocularis, trivalvis. *Semina* plurima. *Receptaculum* lineare, liberum.

OBSERVATIO. Calyces in quibusdam speciebus bipartiti. In *T. nitido* stamina ab uno usque ad novem in diversis floribus, et in eadem planta; in *T. monandro* stamen unicum; in *T. albo*, et *ciliato* stamina semper quinque; in *T. paniculato*, *lingulato*, et *umbellato* stamina undecim ad quindecim; in *T. crenato* viginti circiter stamina; in *T. polyandro* stamina plurima; in *T. albo* capsula obtuse trigona, stigma simplex.

Species novem. Herbae.

Genus *Claytoniae* affine. Nomen *Talini* ab Adansonio constitutum, et Jussieo, aliisque receptum retinemus, novem speciebus Genus adaugemus, copiosas anomalias notamus, et icone characterem genericum illustramus.

EXPLIC. ICONIS X. TALINUM.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petalum*. 4. *Pistillum* cum staminibus. 5. *Stamen*. 6. *Pistillum*. 7. *Capsula* cum calyce. 8. *Corolla* marcida, in calyptrae formam convoluta. 9. *Capsula* aperta cum calyce, et receptaculo. 10. *Semina*. 11. *Receptaculum*.

CUPHEA BROWN. ET JACQ.

BALSAMONA VANDELL. SPEC. FL. LUS. P. 30. T. 4.

CAL. *Perianthium* tubulosum, irregulare, 12-striatum, interius biplicatum, postice gibbum, 12-dentatum, *denticulo superiori* latiori, 6-alternis minimis, exterioribus; inferum, persistens.

COR. *Petala* sex, inter calycis denticulos inserta; *quatuor inferiora*, minima, lanceolata, aequalia; *duo superiora*, maxima, obovata, unguiculata, reflectentia.

STAM. *Filamenta* undecim, subulata, erecta, fauci calycis inserta, triplici ordine disposita; *duo inferiora* reliquis breviora; *quatuor intermedia* calycem superantia; *quinque superiora* ceteris longiora. *Antherae* ovatae, biloculares.

PIST. *Germen* ovatum, trigonum, *Glandula* obcordata insidens, *Stylus* subulatus, staminibus longior, persistens. *Stigma* simplex, acutum.

PER. *Capsula* ovata, subtrigona, acuta, membranacea, unilocularis, univalvis, superne longitudinaliter una cum calyce dehiscens, et tunc cymbaeformis.

SEM. nonnulla, lentiformia, *Receptaculo* centrali, subulato inserta.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla 6-petala, irregularis. *Calyx* 12-dentatus, irregularis, inferus. *Stamina* triplici serie. *Capsula* unilocularis, univalvis.

OBSERVATIO. In *Cuph. cordata*, *Petala* duo superiora, maxima; in *C. ciliata* *Petala* fere aequalia, sed duo superiora latiora.

Species duae. Suffrutices.

Genus *Cuphea* jam antea notum, duarum Specierum a nobis detectarum diligenti observatione supplevimus, et Icone illustravimus, ut facilius a *Lythro* secernatur.

EXPLIC. ICONIS XI. CUPHEA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petala* superiora. 4. *Petala* inferiora. 5. *Calyx* scissus, et apertus insertionem staminum ostendens. 6. *Pistillum* cum nectario. 7. *Nectarium*. 8. *Capsula*. 9. *Capsula* aperta. 10. *Capsula* cum seminibus receptaculo insertis. 11. *Semina*. 12. *Receptaculum*.

VALDESIA.

CAL. *Perianthium* duplex: inferum tetraphyllum: foliolis ovalibus, acuminatis, concavis, conniventibus, duplici serie oppositis, persistentibus: superum sexpartitum: laciniis ovatis, patentibus, persistentibus.

COR. *Petala* sex, subrotunda, acuminata, aequalia, patentia, margini disci inserta, lateribus incumbentibus.

Discus floris concavus, 24 striis; 12-alternis profundioribus, crenatus.

Nectarium tubulosum, superne angustatum, 12-angulatum, sex-dentatum: denticulis bifidis; coriaceum.

STAM. *Filamenta* duodecim, filiformia, brevissima, plana, margini disci inserta. *Antherae* trigonae, angulo postico corniculato, compressae, orbiculatim adpressae, assurgentes.

PIST. *Germen* inferum, obovatum, truncatum. *Stylus* subulatus; longitudine corollae. *Stigma* simplex, obtusum.

PER. *Bacca* obovata, truncata, calyce, et nectario coronata, sexlocularis.

SEM. plurima, parva, obovata, gibba, ossea, nidulantia.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla 6-petala. *Calyx fructus* 4-phyllus: *floris* sexpartitus. *Nectarium* tubulosum. *Bacca* sexlocularis.

OBSERVATIO. Differt a *Blakea* Linnaei *Calyce fructus* tetraphyllo; *Nectario* tubuloso; *Filamentis* filiformibus, planis; *Antheris* in orbem adpressis, angulo postico corniculato; *Bacca* nectario coronata.

Species duae. Arbor, et frutex.

Genus dicatum Ex. D. Antonio Valdes et Bazan, rei nauticae et Classis Reg. Administro, qui Horto Botanico ad novam Carthaginem sub Regis auspiciis condito, et Gaditano Chemiae, instrumentorum supellectile, Laboratorio, et Professoris D. Joann. Arejulae doctrina aucto, suum erga Botanicen studium, et patrocinium luculenter testatus est.

EXPLIC. ICONIS X. VALDESIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx* inferus. 3. *Calyx* superus cum disco, et nectario. 4. *Petalum*. 5. *Stamina*. 6. *Discus*, et *Nectarium*. 7. *Pistillum* disco, et nectario coronatum. 8. *Bacca*. 9. *Bacca* per medium secta. 10. *Semina*.

A X I N A E A.

CAL. *Perianthium* cyathiforme, limbo sexdentato, aut integro; inferum, persistens.

COR. *Petala* sex, dolabraeformia, aequalia, patentia, disco marginali, interne calycem ambiente, inserta.

STAM. *Filamenta* duodecim, declinata, subulata, compressa, sex alternis longioribus, disco calycis inserta, corolla breviora. *Antherae* lineares, calcaratae, incurvae, assurgentes, biloculares, apice perforato pollen effundentes.

PIST. *Germen* oblongum, truncatum, obtuse hexagonum. *Stylus* subulatus, incurvus, longitudine staminum. *Stigma* simplex, obtusum.

PER. *Capsula* oblonga, truncata, obtuse hexagona, umbilicata, coronata corniculis duodecim, binis, brevibus, calyce fere obvoluta, sexlocularis, sexvalvis, angulis dehiscens.

SEM. plurima, minima, cuneiformia. *Receptacula* oblonga, dissepimentis adnata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx cyathiformis, inferus. *Antherae* calcaratae, apice perforatae. *Capsula* 6-locularis, calyce fere obvoluta, corniculata.

OBSERVATIO. I. Numerus staminum in hoc Genere denarius, et ceterarum fructificationis partium quinaris communissimus est; sed ob *Blakeae*, et *Valdesiae* affinitatem ad hanc classem retulimus. *Calyx* *Ax. lanceolatae* extus granulatus; *Antherae* fere conicae, calcaribus obovatis. *Calyx* *Ax. purpureae* granulis sex ad dorsa laciniarum; *Antherae* lineares, calcaribus conicis.

II. Differt a *Blakeae* genere Linnaei, et Brown. *Calyce* simplici, infero, *Staminibus* alternis, brevioribus, *Antheris* linearibus, calcaratis, perforatis, *Stigmate* obtuso, *Capsula* corniculata, sexvalvi.

Species duae. Arbores.

Genus *Axinaea* a petalorum figura dolabrae simili Graece nominavimus.

EXPLIC. ICONIS XI. AXINAEA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx* cum pistillo. 3. *Petalum*. 4. *Calyx* scissus staminum insertionem exhibens. 5. *Stamen* anthera deflorante. 6. *Pistillum*. 7. *Capsula* in calyce. 8. *Capsula* angulis aperta. 9. *Calyx* a capsula liber. 10. *Semina*.

A C U N N A.

CAL. *Perianthium* septempartitum: laciniis ovatis, erectis, concavis, aequalibus, lateribus incumbentibus, inferum, persistens.

COR. *Petala* septem, oblonga, deorsum angustata, maxima, patentia.

STAM. *Filamenta* quatuordecim, subulata, inferne villosa, longitudine fere corollae, septem alternantibus paulo brevioribus. *Antherae* oblongae, biloculares, nutantes, apice poris duobus obliquis pollen effundentes.

PIST. *Germen* orbiculare, planum, 7-sulcatum. *Stylus* filiformis, staminibus longior, persistens. *Stigma* capitatum, 7-striatum, interne 7-angulare.

PER. *Capsula* orbicularis, depressa, umbilicata, obtuse 7-angularis, septemvalvis: valvulis oblongis, incurvis, intus concavis, extus convexis, patentibus.

SEM. plurima, imbricata, obovata, compressa: *Receptacula* septem, subreniformia, rugosa, columnellae heptagonae affixa.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx 7-partitus. *Petala* 7. *Antherae* biperforatae. *Capsula* 7-locularis, 7-valvis.

OBSERVATIO. I. Numerus fructificationis, hujus Generis partium septenarius, et stamina septem alterna, breviora Genus Heptandriae classis constituunt; nos autem propter staminum numerum ad hanc retulimus.

II. Differt hoc Genus a *Befaria* Linn., cui valde affine, *Calyce* septem partito, *Antheris* poris duobus obliquis pollen effudentibus, et *Capsula* septemvalvi.

Species duae. Frutices.

Genus nuncupatum Ex. D. Petro Acunna, et Malvar, Indiarum negotiorum Administro, qui nos, nostraque Regi optimo commendavit, et qua est ingenii acie, animi magnitudine, et alacritate continuo operis editionem inchoari, et urgeri jussit.

EXPLIC. ICONIS XII. ACUNNA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petalum*. 4. *Stamen* longius. 5. *Stamen* brevius. 6. *Pistillum*. 7. *Capsula* cum stylo, et stigmatibus. 8. *Capsula* aperta receptacula continens. 9. *Semina* magnitudinis naturalis. 10. *Semina* aucta. 11. *Receptacula* circum columnellam. 12. *Columnella* (*).

ORD. III. TRIGYNIA.

ARISTOTELIA (*MAQUI* seu *Manus*):

ARISTOTELIA L'HERITIER. FASC. II. P. 31. TAB. 16.

CAL. *Perianthium* subcampanulatum, erectum, profunde quinquefidum; *laciniis* ovatis, acutis, deciduis, adpressis; inferum, basi concava, persistenti.

H 2

(*) Non alio innixus fundamento, quam eo quod in II. *Observ.* docetur, quod *Differt* hoc Genus a *Befaria* Linn. cui valde affine, etc. suam astruit impugnationem Cavanillesius, ut saepe solet. Omissa enim praedicta *differentia*, quae ibi notatur, sumit dumtaxat affinitatem: ex affinitate videtur arguere identitatem: et ex supposita identitate definit tamquam ex tripode omnes praedictas *Acunnas* esse Species Generis *Befaria* de Lamarck.

Eum sic refellit Ruizius: Aut *Befaria* de Lamarck est eadem cum Linnaei *Befaria*; (cujus inventor fuit D. Mutis Hispanus, et cujus non meminit Cavanillesius); aut est

alia distincta? Si hoc ultimum, tunc erunt duo Genera sub eodem nomine *Befaria*, quod in Botanica inauditum. Si primum, quum notae magis propriae Specierum *Acunnae* non bene convenient *Befariae* Linnaei, seu Mutisii, quae jam ab omnibus Botanicis est admissa, jure quidem meritoque distinctum aliud Genus, etsi affine, construi debebat, ut juxta Botanices regulas Genus *Acunna* constructum est. Quis tamen sit hujus Generis character differentialis; et praeterea in quibus illud a *Befaria* vere differat, satis superque jam supra dictum est.

COR. *Petala* quinque, obcordata, concava, conniventia, basi calycis insidentia.

STAM. *Filamenta* quindecim, brevissima, basi calycis inserta, horum quinque interiora. *Antherae* ovatae, biloculares, conniventes, apice poris duobus pollen effundentes.

PIST. *Germen* subrotundum. *Styli* tres, filiformes, erecto-patentes, longitudine staminum. *Stigmata* simplicia, apice villosa.

PER. *Bacca* subrotunda, obsolete trigona, trilocularis.

SEM. *Nux* unica, duaeve in singulo loculamento, uniloculares, trigonae, extus convexae, intus planae.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx subcampanulatus, quinquefidus. *Corolla* pentapetala. *Antherae* biperforatae. *Bacca* trilocularis. *Nuces* hinc convexae, inde planae.

OBSERVATIO. Aliquando *Calyx* sexfidus, *Corolla* hexapetala, *Stamina* terdecim reperiuntur: *Semina* frequenter duo, tria, aut quatuor in singula *Bacca* ad maturitatem perveniunt.

Species unica. Frutex.

Genus sub initium anni 1782 ad urbem Conceptionis Chilensis determinavimus; postea cl. D. L'heritier illud in 2. *Fasciculo Aristoteliae* nomine edidit; quod nomen retinemus: at illud inter nostra nova Genera collocamus, tum quoniam primi deteximus, tum etiam quia descriptio, et icon, quas hic exhibemus, perfectiores, et exactiores esse nobis visae sunt.

EXPLIC. ICONIS XII. ARISTOTELIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petala*. 4. *Stamina* calyci inserta. 5. *Stamina* duo, alterum magis auctum. 6. *Pistillum*. 7. *Bacca*. 8. *Bacca* per medium secta. 9. *Semina* (*).

(*) Criminatur AA. nostros Cavanillesius, ac veluti de plagio accusat, quod *Aristoteliam*, aliaque Genera, veluti nova, huic Prodromo inseruerint; quum eadem sint ab aliis AA. jam pridem nuncupata, ac etiam evulgata.

Ruizius autem se a falso crimine defendit: quia Prodromi AA. nec *Aristoteliam*, nec alia Genera tamquam absolute nova proferunt, nec ab ipsis nuncupata; sed quum eadem fuerint ab ipsis primitus in America detecta, et observata, hinc est, quod ipsi Prodromo ea inserunt, a se reformata, atque iconibus illustrata. Sa-

tis enim id constare videtur. 1. quia idem nomen, ab aliis AA. impositum, frequenter retinent. 2. quia saepe saepius AA., qui praedicta Genera primo evulgarunt, ab ipsismet Prodromi AA. honorifice memorantur. 3. quia ut plurimum ratio peculiaris, si quae sit, ob quam iterum in publicum ea Genera edantur, ab AA. in eodem Prodromo sincere notatur. Vide praeter *Aristoteliam* reliqua Genera, nempe *Calyptranthes*, *Cuphea*, *Dombeya*, *Embotrium*, *Epidendrum*, *Krameria*, *Mendozia*, *Nerteria*, *Talinum*, *Ternstroemia*,

ORD. V. PENTAGYNIA.

BRUNELLIA.

CAL. *Perianthium* quinquepartitum: *laciniis* ovatis, acutis, erecto-patentibus; inferum persistens.

COR. nulla.

Nectarium: *Glandulae* tot quot *stamina*, eisque alternantes, marcescentes, persistentes.

STAM. *Filamenta* undecim, subulata, erecta, longitudine calycis, receptaculo inserta, basi villosa. *Antherae* cordatae, didymae, biloculares, quadrisulcae, sulcis lateralibus dehiscentes.

PIST. *Germina* quinque, ovata. *Styli* subulati, erecto-patentes. *Stigmata* simplicia.

Vallea, et *Vismia*, quae unice in hoc Pro-dromo reproducuntur, quam ab aliis sint jam producta. 4. quia id ipsum, quod eis opponit Adversarius, jam prius in Pro-dromi Praefatione AA. nostri sapienter animadvertebant, ac prudenter praemiserant. Ibi enim dicunt: Cum nonnulla Genera nova, pluraque etiam jam nota, ex autopsia tamen emendata, et re-formata habeamus... Et quamvis vereri interdum subeat, ne aliqua e Generibus, quae tamquam nova exhibemus, fortasse jam praeter nostram opinionem ab aliis Scriptoribus divulgata fuerint... praeter quam quod ea nos primi in locis natalibus deteximus, et descripsimus, pleraque ex eorundem quidem numero, quae in Europam reduces edita offendimus, vel ex mancis descriptionibus mutuata, et iconibus destituta, vel ex plantarum in Hortis propagatarum seminibus, atque adeo degenerum, aut ex siccorum speciminum inspectione desumpta fuisse deprehendimus etc. Unde constat, AA. Florae minime posse prudenter de plagio, aliove de crimine accusari.

Nihilo tamen minus, quum Cavanillesius velit multifariam, multisque modis AA. Pro-dromi criminari, alteram adstruit contra eos accusationem: scilicet, quod nonnulla Genera dicaverint hominibus, etsi aliunde illustratis, non tamen Botanicis, quod ait esse adversus Canones 236 et 238. Linn. in Philos. Botan. Ad hanc accusationem repellendam in medium affert Ruizius ejusdem Linn. in Phil.

Botan. Canon. 236., ubi verbo, et opere sic docet Botanicorum facile Princeps: Nomina generica... Promotorum Botanicis pro merito retineo. Juxta igitur hunc Canon. praeter plura nomina generica, in Pro-dromo Botanicis consecrata, alia etiam Promotoribus Botanicis, et Hist. Natur., ex. gr. Excell. Azarae, Acunnae, Llaguno etc., etsi non fuerint Botanici, merito dicantur.

Praeterea Ruizius in sua ad hunc articulum responsione demonstrat, Cavanillesium incidere in foveam, quam struxit, suoque damuari judicio. In ejus enim plantarum descriptionibus plura nomina generica non sunt ab eo aut Botanicorum, aut Botanicis Promotorum, sed omnino in Botanica peregrinorum nominibus nuncupata. Item raro, vel nunquam primos, verosque auctores, vel inventores, aut observatores novarum plantarum, quas describit, ut equum erat, nominat. Siquidem novas plantas, a Botanicis Mexicanis, et Peruvianis primo in America detectas, et observatas, aut ex siccis speciminibus, vel seminibus ab eisdem in Europam missis, ipse, suppressis eorum nominibus, ut proprias venditavit. Sic etiam Descriptiones, et Icones perfecte quidem ab aliis AA. in Europa elaboratas, ipse ut proprias, sed imperfecte transcriptas publicavit: e. g. in planta *Malvaviscus arboreus flore minori clauso*, quae est ex Hort. Elth. 210. fig. 208. et in *Urena sinica Xanthii facie*, quae est ex eodem Hort. Elth. 430. fig. 412.

PER. *Capsulae* quinque, stellatim positae, oblongae, acuminatae, uniloculares, univalves, superne longitudinaliter dehiscentes, dispermae.

SEM. oblonga, pedicellata, *arillo* calloso, concavo, univalvi inclusa.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx quinquepartitus. *Corolla* nulla. *Nectarium*: *Glandulae* tot quot stamina. *Antherae* ovatae. *Germina* quinque. *Capsulae* univalves.

OBSERVATIO. I. Reperiuntur plurimi Flores staminibus 10, nonnunquam 12, 13, 14. *Calyx* saepe quinquepartitus, pluries sexpartitus, rarius septempartitus, *Germina* aliquando sex, rarius septem.

II. In *Br. aculeata* *Calyx* parvus, *Capsulae* obtusae, glabrae, *Semina* solitaria. In *Br. inermi* *Capsulae* hispidae.

Species duae. Arbores.

Genus dicatum D. *Gabrieli Brunelli*, celebri Botanices Professori, et Horti publici Bononiensis Custodi.

EXPLIC. ICONIS XII. BRUNELLIA.

1. *Flos* integer. 2. *Glandulae*. 3. *Stamen* valde auctum. 4. *Stamina* parum aucta. 5. *Pistillum* cum nectario. 6. *Capsulae* aperte antice adspectae. 7. *Capsulae* postice visae cum *Calyce*. 8. *Arilli* duo. 9. *Semina*.

CLAS. XII. ORD. I. ICOSANDRIA MONOGYNIA.

CAMPOMANESIA (*PALILLOS* seu *Lignuncula*).

CAL. *Perianthium* quinquepartitum: *laciniis* obovatis, concavis, erecto-patentibus; superum persistens.

COR. *Petala* quinque, subrotundo-obovata, concava, patentia.

STAM. *Filamenta* numerosa, capillaria, corolla breviora, calyci inserta. *Antherae* ovatae, simplices.

PIST. *Germen* obovatum. *Stylus* subulatus, declinatus, longitudine corollae. *Stigma* peltatum, umbilicatum.

PER. *Bacca* globosa, depressa, calyce coronata, unilocularis.

SEM. 10-12, subreniformia, compressa, punctis granulosis resiniferis tecta, nidulantia, unica serie orbiculatim, *Receptaculo* magno, carnosio affixa.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Bacca unilocularis. *Semina* unica serie orbiculatim *Receptaculo* carnosio affixa. *Stigma* peltatum, umbilicatum.

OBSERVATIO. I. Calycis *Laciniae* ovatae, aut obovatae, vel oblongae. *Semina* nonnulla ut plurimum abortiunt.

II. Genus inter *Psidium*, et *Myrtum*.

III. An hujus generis *Psidium decaspermum* Linn. Supp. p. 252. quod *Decaspermum fruticosum* Forster gen. num. 37?

Species unica. Arbor.

Genus dicatum Ex. D. Petro Ruderico Campomanesio, Comiti, ad Botanices patrocinium, et ad Hispanae gentis industriam, universam institutionem, et prosperitatem publicam cum orationis vi, qua plurimum valet, tum scriptis, quae doctissima evulgavit, nato, atque informato.

EXPLIC. ICONIS. XIII. CAMPOMANESIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petala* antice, et postice adspecta. 4. *Stamen*. 5. *Pistillum* cum calyce. 6. *Bacca* calyce, et staminibus siccis coronata. 7. *Bacca* transversim secta seminum insertionem exhibens. 8. *Semen* postice visum. 9. *Semen* lateraliter visum (*).

CALYPLECTUS.

CAL. *Perianthium* campanulatum 10-12plicatum, 10-12crenatum, coriaceum, inferum, deciduum.

COR. *Petala* tot, quot calycis plicaturae, oblonga.

STAM. *Filamenta* plura (30. circiter), filiformia, calyci inserta. *Antherae* oblongae, versatiles.

(*) Ob ea sola verba in *Observ. III.* posita: *An hujus Generis etc.*, et absque alio rationis pondere rejicit Cavanilles *Campomanesiam*, asseritque (more suo solito) esse *Decaspermum* clarissimi Forster.

Pugnat e contrario Ruiz (Resp. p. 59.) 1. quia hoc *Decaspermum* fuit jam a Linn. f. (Supplem.), et ab Schrebero (Gen. Plant.) ad *Psidium* amandatum. 2. quia *Pericarpium* hujus *Decaspermī* habet 10. loculamenta, et semina 10. dum *Campomanesiae* *Pericarpium* uno dumtaxat loculamento, ac seminibus 12. gaudet.

Praeterea Forsterus dubitare videtur, num *Pericarpium* sui *Decaspermī* sit loculamentum, an sicca bacca? Igitur Forsteri planta ulteriori, atque prolixiori examine indiget, ut ex

eo non incertum Genus definiatur. *Prodromi* autem planta diligentissime est examinata, exactissime descripta, ac ejus *Pericarpium* firmiter stabilitum; habet enim *Baccam* carnosam, succulentam, unilocularem: et semina 12. Unde non dubium hoc Genus ad illud dubium referri nequit. Si autem temporis decursu, *Decaspermō* diligentius observato, noscatur, Generis supra descripti esse Speciem; aequum tunc erit, ut haec Species illi Generi conjungatur, non vero *Campomanesia Decaspermō*; hoc enim neque ad duas supra notatas species referri, neque ejus nomen *Decaspermum*, quum non semper decem seminibus gaudeat, a Botanicis absque discrimine recipi potest.

- PIST. *Germen* subglobosum, superne striatum. *Stylus* filiformis; erectus. *Stigma* simplex, obtusum.
- PER. *Capsula* globosa, corticosa, unilocularis, a medio ad apicem radiatim striata, inaequaliter disrumpens.
- SEM. plurima, invicem adpressa, oblonga, compressa, margine membranaceo cincta, fundo capsulae insidentia.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx inferus, 10-12plicatus, 10-12crenatus. *Petala* totidem. *Capsula* corticosa, unilocularis, radiatim striata. *Semina* alata.

OBSERVATIO. I. Genus *Lafoensia* Vandelli, in *Florae Lusitanicae et Brasilensis Specimine* descriptum, *Calycem* habet semidecemfidum, *Germen* pedicellatum, *Capsulam* fere cucullatam, bilocularem; quibus differt a *Calypecto*, cui maxime affine.

II. Cum primum hanc arborem detegimus, fructum quidem observare licuit; sed flores vix aliquot jam siccis in ramulo effracto invenimus, quorum partes delineatae sunt praeter corollam ab insectis penitus devorata: et quamquam in aliis peregrinationibus florentem arborem vidimus, et descripsimus, specimina simul cum descriptione *Macorae* incendium consumpsit, quapropter corollae figura in icone desideratur. Species unica. Arbor.

Genus *Calypectus*, a calycis plicaturis Graece nominavimus.

EXPLIC. ICONIS XIII. CALYPECTUS.

1. *Calyx* cum pistillo antice visus. 2. *Calyx* postice visus. 3. *Stamen*. 4. *Pistillum*. 5. *Capsula*. 6. *Semina* in fundo capsulae insidentia. 7. *Semen*.

CALYPTRANTHES SCHREB. GEN. PLANT. PAG. 334.

CHYTRACULIA BROWN. HIST. JAMAIC. P. 239. T. 37. F. 2.

- CAL. *Perianthium* ante explicationem obovatum, acuminatum; postea in pyxidis formam, in duas partes latere affixas horizontaliter vi elastica divisum; parte inferiori campanulata, margine reflexo; superiori calyptraeformi, decidua.
- COR. nulla, nisi laciniam calycis superiorem dicas.
- STAM. *Filamenta* plurima, capillaria, arcuata, laciniae inferiori calycis inserta. *Antherae* didymae subrotundae, utrinque dehiscentes.

- PIST. *Germen* inferum, subrotundum. *Stylus* subulatus, erectus, staminibus longior. *Stigma* simplex, acutum.
- PER. *Bacca* urceolata, bilocularis.
- SEM. nonnulla, subrotunda.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx superus, in duas partes horizontaliter divisus.

Species unica. Frutex.

Genus hoc ab anno 1784. a nobis observatum, et descriptum cum *Calyptranthe* in Schreberi Generibus inserto convenire postea recognovimus, qua propter nomen retinemus, et characterem perficimus.

EXPLIC. ICONIS XIII. CALYPTRANTHES.

1. *Flos* integer magnitudinis naturalis clausus. 2. *Idem* auctus. 3. *Flos* apertus. 4. *Idem* auctus. 5. *Calyx* apertus magnitudinis naturalis. 6. *Idem* auctus. 7. *Stamina* duo, alterum magis auctum. 8. *Pistillum*. 9. *Idem* auctum. 10. *Bacca* immatura. 11. *Eadem* per medium secta duo loculamenta demonstrans. 12. *Semina*.

CLAS. XIII. ORD. I. POLYANDRIA MONOGYNIA:

VALLEA LINN. SUPP. pag. 42.

- CAL. *Perianthium* pentaphyllum: *foliolis* ovatis, acutis, concavis, deciduis; inferum, coloratum.
- COR. *Petala* quinque, obovata, trifida, calyce longiora: *laciniis* ovatis, intermedia productioni.
- Nectarium*: *Annulus* crenatus, coloratus, germen ambiens.
- Squamae* quinque, ovatae, parvae, sub unguibus petalorum, receptaculo adnatae.
- STAM. *Filamenta* numerosa, subulata, villosa, colorata, longitudine calycis, inter annulum, et squamas receptaculo inserta. *Antherae* lineares, basi inaequali erectae, apice biperforatae, pubescentes, biloculares.
- PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* filiformis, erectus, staminibus longior 4-5sulcatus. *Stigmata* quatuor, aut quinque, acuta, patentia.
- PER. *Capsula* ovata, obtuse muricata, sublignosa, parum carnosae 4-5locularis, 4-5valvis, superne dehiscens, in stellae formam patens.

SEM. duo, in singulo loculo, oblonga, extrorsum gibba, introrsum fere dorsalia, sulco levi, longitudinali, exarata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula 4-5locularis, muricata. *Semina* bina. *Antherae* biperforatae. *Petala* trifida.

OBSERVATIO. Saepe semen unicum adolescit, rarius duo, tres, et aliquando quatuor in singula capsula. *Antherae* atrae.

Species unica. Arbor.

Genus *Vallea* a D. Josepho Caelestino Mutisio, insigni Botanico, constitutum, et a Linn. fil. in Supp. evulgatum, elucidare conati sumus.

EXPLIC. ICONIS XIV. VALLEA.

1. *Flos* integer. 2. *Calix*. 3. *Petalum*. 4. *Nectarium* in receptaculo cum squamis valde auctum. 5. *Stamina* in receptaculo cum pistillo. 6. *Stamen* auctum. 7. *Pistillum* in receptaculo cum annulo. 8. *Capsula*. 9. *Capsula* aperta. 10. *Semina*.

PINEDA (LLOQUI).

CAL. *Perianthium* 5partitum: *laciniis* ovatis, acutis, in flore patentibus, in fructu erectis; inferum, persistens.

COR. *Petala* quinque, oblonga, calyce longiora, marcescentia, persistentia.

Nectarium: *Glandulae* decem, geminae, petalis alternantes, receptaculo insertae.

STAM. *Filamenta* numerosa, declinata, incurva, capillaria, longitudine corollae. *Antherae* parvae, subrotundae, didymae.

PIST. *Germen* ovatum, trigonum. *Stylus* subulatus, longitudine staminum. *Stigma* trigonum, trisulcatum.

PER. *Bacca* globosa, obsolete trigona, unilocularis.

SEM. plura, angulata: *Receptacula* tria, carnosa, cortici pericarpium longitudinaliter adnata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Bacca unilocularis. *Receptacula* tria. *Nectarium*: *Glandulae* decem, geminae.

OBSERVATIO. *Calyx* in quibusdam floribus sexpartitus, *Corolla* hexapetala, *Stigma* tetragonum, *Bacca* 4гона, *Receptacula* quatuor.

Species unica. Frutex.

Genus dicatum *D. Antonio Pineda*, strenuo plantarum, ceterarumque rerum naturalium indagatori, qui Physicis, et Mathematicis disciplinis non vulgariter instructus prae laudatam circum orbem Expeditionem cum *D. Neco*, et *D. Haenke* obiens occubuit prae nimia defatigatione in medio vitae, et laborum cursu in Provincia Insulae Luzonis Philippinarum *Ilocos* pridie Non. Iul. ann. 1792, bonis et doctis viris omnibus deflendus. Cl. Malaspina monumentum lapideum in Negotiatorum Horto Botanico, qui est Manilae, ei cum Epigraphe ponendum curavit. Nos hoc ponimus.

EXPLIC. ICONIS XIV. PINEDA.

1. *Flos* integer antice visus. 2. *Calyx* patens. 3. *Petalum*. 4. *Nectarium* in receptaculo. 5. *Stamina*, et *Glandulae* in receptaculo. 6. *Stamen*. 7. *Pistillum*. 8. *Bacca* in calyce. 9. *Bacca*. 10. *Bacca* per medium secta, receptacula exhibens. 11. *Semina*.

LETT SOMIA.

CAL. *Perianthium* heptaphyllum: *foliolis* imbricatis, subrotundis, concavis, coriaceis; inferum, persistens.

COR. *Petala* quinque, aut sex, oblonga, acuta, concava, inferne equitancia, superne patentia, marginibus reflexis, interiora gradatim angustiora.

STAM. *Filamenta* plura, filiformia, brevissima, incurva. *Antherae* lanceolatae, biloculares, utrinque longitudinaliter dehiscentes.

PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* brevissimus. *Stigmata* 3-5, acuta, erecta.

PER. *Bacca* globosa, acuminata, 3-5-locularis.

SEM. plurima, minima, trigona, ossea, libera, punctata. *Receptacula* tria, aut quinque, angulis dissepimentorum adnata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Bacca 3-5-locularis. *Calyx* heptaphyllus. *Petala* inferne equitancia.

OBSERVATIO. In *Letts. lanata* *Petala* quinque, *Stamina* 24, *Stigmata* tria, *Bacca* trilocularis: in *L. tomentosa* *Petala* sex, *Stamina* 26, *Stigmata* quinque. *Bacca* 5locularis.

Species duae. Frutices.

Genus dicatum cl. Joanni Cokley Lettsom, Anglo, *Arboris Theae Naturalis Historiae*, aliorumque operum, quibus Botanices incrementa promovet, Auctori.

EXPLIC. ICONIS XIV. LETTSOMIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petala*. 4. *Stamina* in receptaculo. 5. *Stamina* duo parum aucta. 6. Alterum valde auctum cum anthera aperta. 7. *Pistillum*. 8. *Bacca*. 9. *Bacca* per medium secta. 10. *Semina*. 11. *Receptaculum*.

A B A T I A.

CAL. *Perianthium* quadripartitum: *laciniis* ovato-lanceolatis, acutis, concavis, in flore reflexis, in fructu erectis; inferum, persistens, coloratum.

COR. nulla.

Nectarium: *Fila* plurima, longitudine staminum, receptaculo inserta.

STAM. *Filamenta* numerosa (circiter 28), filiformia, erecta. *Antherae* oblongae, erectae, biloculares, utrinque dehiscences.

PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* subcylindricus. *Stigma* simplex.

PER. *Capsula* ovata, unilocularis, bivalvis.

SEM. plurima, oblonga, minima, striata. *Receptaculum* lineare, per medium singularum valvularum-excurrens.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx quadripartitus. *Nectarium*: *Fila* plurima, *Capsula* unilocularis.

OBSERVATIO. I. In *Ab. rugosa* *Calyces* aliquando tripartiti, rarius quinquepartiti, et tunc *Capsulae* trivalves.

II. Differt ab *Azarae* Genere, cui valde affine, *Calyce* colorato, *Antheris* oblongis, *Pericarpio* capsulari, et *Seminibus* striatis.

Species duae. Frutices.

Genus dicatum D. Petro Abat, in R. Societatis Medicae Hispalensis Horto Botanices Professore.

EXPLIC. ICONIS XIV. ABATIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Nectarium* in receptaculo. 4. *Stamina* in receptaculo. 5. *Stamen*. 6. *Pistillum* cum calyce. 7. *Capsula* aperta cum calyce. 8. Eadem clausa absque calyce. 9. Eadem aperta. 10. *Semina* aucta. 11. *Semen* valde auctum.

A Z A R A.

CAL. *Perianthium* 6, 4, 5 partitum: *laciniis* ovatis, acutis, in flore deflexis, in fructu erectis; inferum, persistens.

COR. nulla.

Nectarium: *Fila* plurima, capillaria, staminibus breviora, receptaculo inter calycem, et stamina inserta.

STAM. *Filamenta* numerosa (22-36), capillaria, longitudine fere calycis. *Antherae* subrotundae, didymae, biloculares, utrinque longitudinaliter dehiscences.

PIST. *Germen* subrotundum, obsolete pentagonum. *Stylus* subulatus, longitudine staminum. *Stigma* simplex, obtusum.

PER. *Bacca* subrotunda, unilocularis, stylo terminata.

SEM. plura, obovata, nidulantia, *Receptaculo* triplici per parietes pericarpium longitudinaliter decurrenti, affixa.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx 6, 4, 5partitus. *Nectarium*: *Fila* plurima. *Bacca* unilocularis, stylo terminata.

OBSERVATIO. Differt ab *Abatie* Genere, cui valde affine, *Calyce* viridi, *Antheris* subrotundis, didymis, *Pericarpio* baccato, et *Seminibus*.

Species tres. Frutices.

Genus dicatum Ex. D. *Josepho Nicolao de Azara*, qui mirifica ingenii acie, et singulari doctrina praeditus, inter gravissima negotia D. *Guillielmi Bonvlesii* *Introductionem in Hispaniae Geographiam Physicam, et Historiam Naturalem* digessit, illustravit, edidit, Botanices, Picturae, ceterarumque bonarum Artium, et fructuosarum Scientiarum Promotor egregius.

EXPLIC. ICONIS XXXVI. AZARA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Nectarium*. 4. *Stamina*. 5. *Pistillum*. 6. *Bacca* cum calyce. 7. *Bacca*. 8. *Bacca* per medium secta, tria receptacula exhibens. 9. *Semina*.

POLYLEPIS (QUINUAR).

CAL. *Perianthium* tetraphyllum: *foliolis* ovato-subrotundis, concavis, intusplacatis; superum, persistens.

COR. nulla.

STAM. *Filamenta* numerosa, filiformia, brevia. *Antherae* oblongae, planiusculae, didymae, lanatae.

PIST. *Germen* triangulare. *Stylus* filiformis.

Stigma penicilliforme.

PER. *Drupa* sicca, callosa, clavata, 3-4gona: *angulis* alatis inaequalibus, totidem *denticulis* alternantibus; calyce coronata, unilocularis.

SEM. *Nux* ejusdem figurae, unilocularis. *Nucleus* oblongo-obovatus, obsolete tetragonus.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx 3-4phyllus. *Corolla* nulla. *Stigma* penicilliforme. *Drupa* clavata, 3-4gon-
na, angulis inaequalibus, totidem denticulis alternantibus.

Species unica. Arbor.

Genus *Polylepis* a cortice in plures lamellas continuo secedente nomina-
vimus.

EXPLIC. ICONIS XV. POLYLEPIS.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Stamina* in receptaculo cum pistillo. 4. *Stamen* valde au-
ctum. 5. *Pistillum*. 6. *Drupa* cum calyce. 7. *Drupa* absque calyce. 8. *Nux* per me-
dium secta. 9. *Nucleus*.

VERTICILLARIA (*ACEYTE DE MARIA*
seu Oleum Mariae).

CAL. *Perianthium* hexaphyllum : *foliolis* ovatis , patentibus , persi-
stentibus ; inferum , coloratum .

COR. nulla.

STAM. *Filamenta* numerosa , filiformia ; *Antherae* ovatae .

PIST. *Germen* oblongum , subtrigonum , scabrum . *Stylus* nullus .
Stigma concavum , trilobum .

PER. *Capsula* oblonga , subtrigona , tuberculata , trilocularis , tri-
valvis : *valvulis* crassis , corticosis .

SEM. solitaria , oblonga .

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx hexaphyllus . *Stigma* concavum , trilobum . *Capsula* trilocularis , tri-
sperma .

Species unica . Arbor .

Genus *Verticillaria* a ramis in verticillos pulchre dispositis nominavimus.

EXPLIC. ICONIS XV. VERTICILLARIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calycis Foliola*. 3. *Stamina* in receptaculo. 4. *Stamen* auctum. 5. *Pi-*
stillum. 6. *Capsula* clausa. 7. *Eadem* per medium secta , tria loculamenta patefaciens.
8. *Semina*.

ORD. V. PENTAGYNIA.

RHYNCHOTHECA.

CAL. *Perianthium* pentaphyllum : *foliolis* oblongis, acuminatis, acumine subulato : *duobus exterioribus* latioribus ; inferum, persistens.

COR. nulla.

STAM. *Filamenta* decem, capillaria. *Antherae* oblongae, erectae, biloculares.

PIST. *Germina* quinque, oblonga, villosa, adpressa. *Styli* brevissimi, basi coaliti. *Stigmata* oblonga, crassiuscula, patentia, persistentia.

PER. *Capsula* pyramidalis, rostrata, stigmatibus coronata, pentacocca : *Capsulae* sessiles, villosae, superne caudatae, inferne discedentes, interius longitudinaliter dehiscentes. *Receptaculum* columnare, pentagonum, a medio usque ad apicem incrassatum.

SEM. solitaria, oblonga, subcarinata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx pentaphyllus. *Corolla* nulla. *Capsula* pentacocca, stigmatibus coronata. *Receptaculum* columnare pentagonum.

OBSERVATIO. I. In quibusdam floribus. *Pistilla* 6-7 reperiuntur, quorum numero seminum numerus respondet.

II. Quamvis in hujus Generis Specie stamina tantum decem offendimus ; eorum, ceterarumque partium insertio, figura, et dispositio, et cum *Tha-lictro* affinitas potius ad hanc classem, quam ad *Decandriam* eam referre nos cogunt ; detectio novarum specierum genuinam classem asserere poterit.

Species unica. Frutex.

Genus *Rhynchotheca* quasi capsulam rostratam nominavimus.

EXPLIC. ICONIS XV. RHYNCHOTHECA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Stamina*. 4. *Pistillum*. 5. *Pericarpium*. 6. *Capsulae* a basi disjunctae. 7. *Capsulae* liberae. 8. *Capsula* aperta. 9. *Semen*. 10. *Receptaculum* (*).

(*) Exprobrat Cavanillesius Auctoribus Prodromi, quod contra Linn. doctrinam *Rhynchothecam* in Clas. *Polyandria* collocaverint ; dum ob ejus decem *Stamina* in Clas. *Decandria* collocari debeat.

Ut hujuscemodi exprobratio retrudatur, inquit Ruizius, (Resp. p. 49.) satis est, ut, quod in superiore *Observ.* dicitur, attente per-

spiciatur, et Botanicorum praxis consulatur. Idem quippe Linnaeus, omnesque ejus methodum amplectentes, immo et ipsemet Cavanillesius, saepe saepius, dum plantas describunt, quin *Staminum* numerus obstet, dummodo eorum, ceterarumque fructificationis partium insertio, et figura, atque dispositio, necnon et cum aliis plantis affinitas, magis propria

ORD. VII. POLYGINIA.

MOLLINEDIA.

CAL. *Perianthium* ovatum, ventricosum, ore quadrifido, vix aperto: laciniis ovatis, obtusis; inferum, in fructu dilaceratum.

COR. nulla.

STAM. *Filamenta* nulla. *Antherae* plurimae, cuneiformes, receptaculo insidentes.

PIST. *Germina* plura, ovata. *Styli* nulli. *Stigmata* subulata.

PER. *Drupae* totidem, oblongae, carnosae, sessiles, *Receptaculo* plano insidentes.

SEM. oblongum, cortice membranaceo tectum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx ovatus, ferme clausus, quadrifidus. *Corolla* nulla. *Drupae* plures.

Species duae. Arbor, et Frutex.

Genus dedicatum D. Francisco de Mollinedo, cujus studio et Hortus R. Botanicus Matritensis, et Laboratorium Chemicum plurimum debent.

EXPLIC. ICONIS XV. MOLLINEDIA.

1. *Calyx* stamina, et pistilla includens. 2. *Antherae* in receptaculo. 3. *Anthera*. 4. *Pistillum*. 5. *Drupae*. 6. *Drupa*. 7. *Eadem* per medium secta. 8. *Semen*.

PORCELIA.

CAL. *Perianthium* triphyllum: foliolis ovato-cordatis, concavis; inferum, deciduum.

COR. *Petala* sex, ovata; tria exteriora patentia, plana; interiora majora, marginibus inflexis.

pria sint alteri Classi, in hac potius, quam in alia collocarunt. Plura quidem Genera, quae, quia eorum *Stamina* 10, aut eorum filamenta in unum corpus sunt coalita, in *Decandria*, aut in *Monadelphia* apponi debuerant; nihilo tamen minus sunt in *Diadelphia* a Cavanillesio apposita, ut ex ejusdem scriptis per facile convincitur. Sic etiam Genus *Thalictrum* (cui Genus *Rhynchotheca* valde affine est), in *Polyandria* a Linnaeo collocatur; tametsi ejus species *Staminibus* 12-14-16, et 17. constant,

quum apud eundem Linnaeum, ut in praedicta Classe collocentur, *Stamina*, seu filamenta plura, saltem 20. habere debeant. Numerus igitur *Staminum* in plantarum Generibus, etsi aliquando sit classicus, magis tamen classica est, eorumdem Generum convenientia in fructificationis partibus. Linnaeus enim Can. 160. Philos. Bot. sic habet: *Classis est Generum pluriam convenientia in partibus fructificationis secundum principia naturae, et artis.*

STAM. *Filamenta* nulla. *Antherae* numerosae, lineares, receptaculo insidentes.

PIST. *Germina* plurima, linearia. *Styli* nulli. *Stigmata* obtusa.

PER. *Baccae* totidem, magnae, distinctae, cylindricae, torulosae, exterius sutura dorsali, longitudinali, cui alia opposita interius respondet, uniloculares, polyspermae, cortice crasso, coriaceo vestitae.

SEM. plura, oblonga, reniformia, compressa, gemino ordine membranis intermediis superimposita, cortice duro, dissepimentis dimidiatis, transversalibus, nucleo infixis interius scatente tecta.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx triphyllus. *Corolla* hexapetala. *Baccae* cylindricae, torulosae, polyspermae, receptaculo plano insidentes. *Semina* gemino ordine superimposita.

OBSERVATIO. I. *Baccae* ad summum novem in singulo flore adolescent, reliquae ob priorum oppressionem adhuc tenerae decidunt.

II. *Porcelia* differt ab *Uvaria*, quod genus efformavit Linnaeus ex descriptione Kaempheri, et specimine sicco, *Calyce* triphyлло, *Antheris* receptaculo insidentibus, *Stylis* nullis, *Baccis* cylindricis, torulosis, sessilibus, cortice coriaceo tectis, *Receptaculo* plano affixis (adde habitum *Plantae* diversissimum). Nam *Funis musarius* Rumph., et *Narum-panel* Rheed., quas ad *Uvariae Zeylanicae* speciem Linnaeus refert, plantas nostro iudicio distinctas, et *Uvariae Zeylanicae Aublet*, quae ab eisdem quoque speciebus differt, ad *Porceliae* potius quam ad *Uvariae* Genus referendae sunt.

Species unica. Arbor.

Genus dicatum D. Antonio Porcel, viro in primis docto, animi et ingenii dotibus ornatissimo, et laborum nostrorum strenuo et perquam humano promotori.

EXPLIC. ICONIS XVI. PORCELIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx* cum antheris, et pistillis. 3. *Petala*. 4. *Anthera*. 5. *Pistilla* in receptaculo. 6. *Pistillum*. 7. *Baccae*. 8. *Bacca* per medium secta. 9. *Semina*. 10. *Semen* longitudinaliter incisum, nucleum, et dissepimenta exhibens.

GUATTERIA.

CAL. *Perianthium* triphyllum: *foliolis* cordatis, acuminatis, patentibus; inferum, deciduum.

COR. *Petala* sex, obovata, sessilia, erecto-patentia, calyce longiora, marginibus reflexis, tria exteriora patentiora.

STAM. *Filamenta* nulla, *Antherae* numerosae, cuneiformes, germina ambientes.

PIST. *Germina* numerosa, minima, sessilia, obovata, glutine resinoso illita. *Styli* simplices, longitudine antherarum. *Stigmata* simplicia, acuta.

PER. *Drupae* totidem, distinctae, pedunculatae, obovatae, *Receptaculo* parum elevato insertae.

SEM. *Nuces* totidem, obovatae, tectae cortice calloso-corticoso, interne membranulis transversalibus nucleo infixis constante. *Nucleus* ejusdem figurae.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx triphyllus. *Corolla* hexapetala, *Drupae* plures, pedunculatae. *Receptaculum* elevatum.

OBSERVATIO. *Cananga* Aublet, t. 1. p. 607. t. 2. tab. 244. omnino Generi nostro respondet, si *Stylum*, et *Pericarpium* excipias, quod *Capsulam* vocat; sed figura *Iconis Pericarpium* evalve, nostro simillimum, praesentat, et *Pistillum* absque *Stylo* ipse describit.

Species quatuor. Arbores, et Frutices.

Genus dicatum D. Joanni Baptistae Guatterii, cujus obitus Hortum R. Parmensem, dignissimo Professore, et honestissimo viro in ipso aetatis florum paucis abhinc mensibus orbavit.

EXPLIC. ICONIS XVII. GUATTERIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petalum*. 4. *Antherae* in receptaculo. 5. *Antherae*. 6. *Pistilla* in receptaculo. 7. *Pistillum* auctum. 8. *Drupae* in receptaculo. 9. *Drupa*. 10. *Semen*. 11. *Semen* longitudinaliter scissum (*).

(*) Quatuor eas *Guatteriae* Species a nostris auctoribus in eorum botanicis excursionibus examinatas, et in superiore *Observ.* allatas, Cavanillesius translocare studet in *Uvariam* de Lamarck: cui, etiam affirmat *Canangam* Aublet, omnino convenire. Genus ideoque *Guatteria*, ut non vere novum, ab ipso repellitur.

In hac tamen Cavanillesiana censura aliqua notatu digna observat Ruizius. 1. quod omnes *Icones* specierum *Uvaria* a ceteris auctoribus, seu *Ichnographis* hucusque publicatae, aperte demonstrant Genus aliud omnino distinctum a Genere *Guatteria*: atque hujus quoque characteres minime congruere *Uvariae*, aut *Linnaei*, aut *Jussieu*, aut *Canan-*

gae Aubletii. 2. quod mirum in modum hic et ubique contendit Cavanillesius, suum Lamarckam (quum ipsi favere videtur) constituere, proclamareque totius Botanicis supremum Judicem ac Legislatorem: ei enim tribuit summam potestatem, et cujusque Generis Species jam admissas excludendi, et ex his ad libitum novum Genus condendi: quam facultatem nullus ex Botanicis unquam habuit. 3. quod Cavanillesius non ex alia, quam ex *Prodromi* penu, etiam nunc rationem *Guatteriam* impugnandi eruit. Quia enim in *Observ.* dicitur: *Cananga* Aublet etc., ipse nullo alio prorsus congruentiae momento nixus affirmat, arguit, et concludit, *Guatterias* esse Species *Uvariae* de Lamarck. Mira quidem

CLAS. XIV. ORD. I. DIDYNAMIA GYMNOSPERMIA.

G A R D O Q U I A.

CAL. *Perianthium* parvum, tubulosum, cylindricum, recurvatum, striatum, bilabiatum, persistens. *Labium superius* tridentatum; *denticulis* aequalibus. *Labium inferius* bidentatum, superiori paulo brevius.

COR. ringens. *Tubus* recurvus, versus basim angustatus, calyce quadruplo longior. *Faux* dilatata. *Labium superius* rectum, profunde emarginatum, obtusum. *Labium inferius* patens, trifidum; *laciniis* fere aequalibus, obtusis, *intermedia* rotundiori concava. *Palatum* hirsutum.

STAM. *Filamenta* quatuor, subulata, erecta, quorum *duo inferiora* longitudine corollae, *duo superiora* breviora. *Antherae* cordatae, didymae, per paria approximatae.

PIST. *Germen* quadrifidum. *Stylus* filiformis, erectus, corolla longior. *Stigma* bifidum: *laciniis* subulatis, *altera* breviori.

PER. nullum. *Calyx* in sinu semina fovens.

SEM. quatuor, ovata, trigona.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corollae *Tubus* longissimus, recurvus: *Labium superius* rectum, emarginatum, obtusum: *lacinia* labii inferioris *intermedia* concava. *Antherae* cordatae, didymae. *Semina* trigona.

Species tres. Suffrutices.

Genus dicatum Ex. D. Didaco de Gardoqui, munifico Botanices protectori.

EXPLIC. ICONIS XVII. GARDOQUIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla*. 4. *Corolla* longitudinaliter scissa, staminum insertionem ostendens. 5. *Pistillum*. 6. *Semina*.

K 2

oppugnantis dexteritas! ait Ruizius. Quae enim a vere observatoribus moderationis gratia non resolvuntur, aut tamquam dubia proponuntur, ipse, quin ea observaverit, nec eorum veras habuerit notiones, absolute, ac audacter determinat. Suspiciatur exinde meri-

to Ruizius, quod, si in unoquoque *Prodromi* novo Genere hujusmodi Observatio, aut cum aliis Generibus affinitas fuisset ab auctoribus adhibita, satis forsitan fuisset adversario, ut omnia nova Genera impugnaret, susque deque totum *Prodromum* verteret.

ORD. II. ANGIOSPERMIA.

DOMBEYA.

DOMBEYA L'HERIT. FASC. II. PAG. 33. T. 17.

CAL. *Perianthium* tubulosum, erectum, bilabiatum, deciduum: *Labium superius* brevius, angustius, ad apicem dorsii acumine subulato, corniculato: *Labium inferius* latius, emarginatum, concavum.

COR. tubulosa, ringens. *Tubus* curvatus, cylindricus, longitudine fere calycis. *Faux* subtus compressiuscula. *Labium superius* concavum, galeatum, marginibus revolutis. *Labium inferius* nullum, nisi *denticuli* duo minimi.

Nectarium annulare, subquadrilobum, germen ambiens.

STAM. *Filamenta* quatuor, filiformia, compressa, fauci inserta, duo longiora sub galea recondita. *Antherae* ovatae, didymae.

PIST. *Germen* oblongum, tetragonum, echinatum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum, apice curvatus. *Stigma* simplex, truncatum.

PER. *Capsula* oblongo-ovata, acuta, quadriloba, coriacea, spinosa: *spinis longioribus* hamatis, *brevioribus* rectis; quadrilocularis, bivalvis, apice dehiscens. *Dissepimentum* tetrapterum, superne acutum, anceps: *alis duabus oppositis* valvularum parietibus adhaerentibus; *aliis duabus defixis*: valvularum *marginibus* membranaceis, in dissepimenti formam interne revolutis, loculamenta in duos loculos dividantibus; *loculis exterioribus* vacuis, *interioribus* seminiferis.

SEM. plura, subimbricata, obcordata, plana, margine crenulato-cristato cincta, sinubus dissepimenti affixa, marginibus valvularum depressa.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula quadrilocularis. Calycis *Labium superius* dorso corniculatum. Corollae *Labium superius* galeatum; *inferius* bidentatum denticulis minimis.

OBSERVATIO. Capsulae interna structura valde singularis est: etenim, dum sponte aperitur quatuor loculamenta tantum ostendit, id est, duo com-

pleta, et duo incompleta; per medium autem transversim secta divisiones octo exhibet, quatuor exteriores vacuas, interiores vero seminiferas. Demum *Semina* a basi receptaculi ad medium inserta sunt.

Species unica. Herbacea.

Genus a nobis, et cl. peregrinationum socio D. *Josepho Dombeyo* detectum, dum simul Limae propinquos colles explorabamus, atque in ejus debitum honorem a D. *Lheritier* evulgatum libenter retinemus, et saepius iterata plantae observatione in loco natali adjuti characterem reformamus, atque icone illustramus. Plures plantas ejusdem *Dombey* nomini nuncupatas in Europam reduces offendimus: sed *Dombeyam* D. de *Lamarck*, quae *Pinus Molina*, *Pino de Chile* vulgo, et *Araucaria Jussiei* Gen. plant. pag. 413. inter *Pinorum* species collocandam esse censemus; quamvis eam dioicam in *Montibus Chilensibus* constanter observavimus. Inter eas vero *Dombeyam* *Lherit.* ad memoriam cl. viri posteris commendandam praetulimus, et quod ceteris praecessit, et quod illam novum vere Genus esse propriis observationibus pro comperto habemus.

EXPLIC. ICONIS XVII. DOMBEYA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla* antice visa. 4. *Eadem* scissa pistillum, et stamina ostendens. 5. *Stamina*. 6. *Pistillum* cum nectario. 7. *Nectarium*. 8. *Capsula* aperta. 9. *Capsula* clausa. 10. *Pars* dimidia capsulae transversim sectae. 11. *Semina*. 12. *Receptaculum* cum seminibus nonnullis (*).

(*) *Araucaria* enim illa, (inquit Cavanillesius in suis contra Prodrumum animadversionibus), quam *Ruizius* inter *pinorum Species* collocandam credidit, Genus novum vere est, quod evincunt characteres a *Lamarck*, et *Jussieu* producti. Si autem *Araucaria* illa, quae in Europa *Dombeya* est appellata, Genus novum vere est; *Dombeya* igitur hujus Prodrumi apud Cavanillesium erit supervacanea, aut ejus nomen genericum in Botanica saltem immerito reproductum.

Sed quid dicendum, si *Araucaria* illa Genus novum vere non sit, neque id convincant characteres a *Lamarck*, et *Jussieu* producti, nec sit solus *Ruizius*, qui inter *pinorum species* collocandam crediderit? Credidit id *Pavonius* ejus socius, et *Dombeyus* eorum comes in peregrinationibus, qui omnes in montibus *Chilensibus* eam constanter observaverunt: credidit cl. *Molina*, qui priusquam illis in eodem regno *Chilensi* inter *Araucanos* eandem diligenter examinavit, ac postea *Bononiae* descripsit, et propriissime *Pinum Araucanam* appellavit. (*Sagg. sulla Stor. Nat. de' Chili. Lib. III. pag. 182.*) Id credidit *Guillelmus Glimerus*, qui in *Brasilia* eandem inspexit,

et pulcherrimam *pinum* nominavit: (*Hist. Nat. Brasiliae, Lib. VIII. c. 2.*) credidit *Joseph Sanchez* mihi olim socius in *Paraguay*, qui eandem vidit, ac *Ravennae* descripsit, et delineavit, (*Paraguay Natural. Par. 2. lib. 2. c. 7.*) cujus MM. SS. et Icones apud me extant, ubi ait: *Omnes fere Hispani in America hanc arborem merito Pinum appellant ob omnimodam cum pinis europeis similitudinem, ac proprietatem.* Non ergo est solus *Ruizius*, qui *Araucariam*, seu proprius *Araucanam* illam inter *pinorum species* collocandam crediderit.

Addit praeterea *Ruizius*, et suum adversarium sic redarguit: *Primi Araucariam illam* in ejus loco natali vivam methodice observavimus *Molina*, *Dombey*, *Pavon*, et ego; nos omnes juxta Botanices regulas, novimus, ac descripsimus, non tamquam Genus vere novum, sed ut *pinis* speciem: e contra *Lamarck*, (qui *Dombeyam* appellavit) et *Jussieu* (qui *Araucariam* nominavit) in Gallia, et in sicco exemplari observare (quae observationes, ut bene norunt Botanici fallacissimae sunt); itaque quorum observationibus standum erit?

MENDOZIA.

MENDOZIA VANDELL. FL. LUS. ET BRAS. p. 43. fig. 24.

CAL. *Perianthium* diphyllum: *foliolis* ovatis, acutis, dorsalibus persistentibus.

COR. irregularis. *Tubus* calyce longior, circa basim coarctatus, gibbus. *Faux* coarctata. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* subrotundis, patentibus.

Nectaria duo, annularia; *exterius* membranaceum, integrum, inter calycem, et corollam: *interius* crassius, integrum, inter corollam et germen.

STAM. *Filamenta* quatuor, subulata, erecta, brevia, coarctationi tubi inserta, quorum duo longiora. *Antherae* sagittatae, didymae, longitudine tubi.

PIST. *Germen* ovatum, superum. *Stylus* filiformis, longitudine corollae. *Stigma* bifidum, lacinia altera breviori.

PER. *Drupa* oblonga, unilocularis, monosperma.

SEM. *Nux* subovata, compressiuscula, unilocularis. *Nucleus* oblongus.

Nec characteres a Lamarck et Jussieu producti evincunt, *Araucariam* illam vere esse novum Genus. Lamarck enim hanc Pinum, ut a vera *Pino* distinguat, duabus valvulis maxima, et minima, describit. Character autem hic nullam arguit genericam differentiam; nam in *Pino pinea* Linn. duae istae valvulae, seu prominentiae maxima, et minima reperiuntur: quin propterea *Pinus pinea* novum Genus dicatur. Jussieu vero sic suam *Araucariam* describit: *Araucaria a Pino, et Abiete discrepat frondescentia, squamis masculis polyantheris, foemineis dorsalibus nullis, foemineis veris non capsulam geminam obtegentibus, sed ipsismet capsularibus monospermis*: hos autem characteres quum Jussieu non observaverit in vivo exemplari, sed in sicco, et fortasse non bene custodito, celeberrimus quamvis Botanicus fallitur 1. quia discrepantia frondescentiae in hac planta non est generica, sed solum specifica; sicut discrepantia *Laricis, Abietis, et Pini*, quae sub eodem Genere *Pini* juxta Linn. continentur.

Frondescentia enim illius *Araucariae*, ut ex accuratis observationibus patet, eadem est, ac frondescentia *Pini piceae*, et *Balsameae* Linn. Fallitur. 2. si characterem differentialem ponit in *squamis masculis polyantheris, foemineis dorsalibus nullis*, quia hic character nullius est valoris, quum *Antherarum* numerus notabiliter variari soleat in speciebus Generum *Columniferarum*, et *Icosandrarum*, ac *Polyandrarum*; secundum florum, vel amentorum magnitudinem. Fallitur 3. quum ait: *foemineis veris, non capsulam geminam obtegentibus, sed ipsismet capsularibus monospermis*; quia in ea *Araucaria* omnis squama obtegit geminam Nucem evalvem cum cortice coriaceo, non vero *capsulam geminam*. Plurima alia affert Ruizius in sua Resp. a pag. 18. usque ad 25. ex quibus, et ex his patet, *Araucariam* illam inter pinorum species collocandam, atque adeo Genus novum vere non esse; consequenterque *Dombeyam* hujus Prodrumi, quum Genus novum vere sit, a Botanicis retinendam.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Drupa monosperma. Nectaria duo, annularia.

Species duae. Suffrutices, scandentes.

Genus *Mendozia* a cl. Vandelli in *Specimine Florae Lusitanicae, et Brasiliensis* descriptum elucidamus, et duarum specierum descriptione perficere conamur.

EXPLIC. ICONIS XVII. MENDOZIA.

1. *Flos* integer. 2. *Corolla*. 3. *Corolla* scissa, stamina ostendens. 4. *Pistillum* in receptaculo cum duobus nectariis. 5. *Drupa* cum calyce. 6. *Drupa* horizontaliter per medium secta. 7. *Semen*.

ECCREMOCARPUS:

CAL. *Perianthium* tubulosum, 4-5-gonum, 4-5-fidum: *laciniis* ovatis, acutis, subaequalibus; inferum, persistens.

COR. tubulosa, irregularis, superne, inferneque coarctata. *Tubus* longitudine calycis. *Limbus* quinquefidus: *laciniis* subrotundis, revolutis, *duabus superioribus* paulo brevioribus, angustioribus.

Nectarium cyathiforme, germen cingens, tubum corollae dilatans, persistens.

STAM. *Filamenta* quatuor, filiformia, compressa, corolla breviora, infra coarctationem inferiorem inserta, quorum duo altiora. *Antherae* lineares, didymae.

PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* subulatus, longitudine staminum. *Stigma* bilobum, lobis adpressis.

PER. *Capsula* oblonga, pedicellata, unilocularis bivalvis.

SEM. numerosa, imbricata, lentiformia, margine orbiculari, membranaceo cincta. *Receptaculum* lineare, per singulam valvulam excurrent.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula unilocularis. *Semina* margine orbiculari cincta. *Receptaculum* per singulam valvulam. *Corolla* tubulosa, superne, et inferne coarctata. *Nectarium* cyathiforme.

OBSERVATIO. In *Eccr. scabro* *Calyx* corolla quadruplo brevior, pentagonus, 5-fidus, *Corolla* coarctatione inferiori recurva, medio gibbosa, ore angusto, *Rudimentum* filamentum quinti inter duo stamina altiora, *Capsula* ovata, scabra: in *Eccr. viridi* *Calyx* teres, longitudine fere corollae,

quadrifidus, *Capsula* oblongo-obovata, levis, *Margo* seminum radiatim striatus.

Species duae. Herbae.

Genus *Eccremocarpus* a fructu pendulo, qui in duabus speciebus observatur, nominavimus.

EXPLIC. ICONIS XVIII. ECCREMOCARPUS.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla*. 4. *Eadem* scissa stamina ostendens. 5. *Nectarium*. 6. *Pistillum* cum nectario. 7. *Capsula* cum calyce. 8. *Capsula* inversa cum nectario, aperta, semina exhibens. 9. *Semina*.

ESCOBEDIA.

CAL. *Perianthium* urceolatum, decangulare, quinquedentatum: *denticulis* ovatis, acutis; *tribus* superioribus remotioribus; inferum persistens.

COR. infundibuliformis, irregularis. *Tubus* calyce duplo longior, curvatus, contortus. *Limbus* bilabiatus: *labium* superius bifidum; *laciniis* subrotundis, undulatis: *labium* inferius tripartitum; *laciniis* subrotundis, undulatis.

STAM. *Filamenta*, quatuor, filiformia, quorum duo breviora. *Antherae* sagittatae, didymae, angulis posticis subulatis.

PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* filiformis, erectus, utrinque sulcatus, longitudine corollae, persistens. *Stigma* magnum, oblongo-lineare, reflexum, rugoso undulatum.

PER. *Capsula* ovata, acuminata, bilocularis, bivalvis. *Dissepimentum* contrarium.

SEM. numerosissima, oblonga; singulum intra membranulam cuneiformem, inflatam, vesicularem. *Receptaculum* dissepimento utrinque adnatum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula bilocularis. *Calyx* urceolatus, 10-angularis. *Antherae* sagittatae, angulis posticis subulatis. *Stigma* rugoso-undulatum. *Semina* intra vesiculas.

Species unica. Herba.

Genus dicatum Ill. D. Georgio Escobedo, in supremo, sanctorumque Indiarum Senatu Consiliario Regio, qui quamdiu R. Aerarium in Peruvia administravit, qua est sapientia, erga litteras studio, et in negotiis expedien-

dis dexteritate, nos omni praesidiorum genere adjuvit, et oppressos atque luctuoso Macorae incendio animo dejectos humaniter admodum recreavit.

EXPLIC. ICONIS XVIII. ESCOBEDIA.

1. Calyx. 2. Corolla cum pistillo. 3. Pars tubi corollae, staminum insertionem ostendens. 4. Pistillum receptaculo insidens. 5. Capsula aperta cum stylo persistente. 6. Semina.

VIRGULARIA.

CAL. *Perianthium* campanulatum, subbilabiatum, decem angulare, quinquedentatum: *denticulis* acutis, patentibus; *duobus inferioribus* labium inferius constituentibus, remotioribus; *angulis alternis* productionibus; inferum persistens.

COR. subcampanulata, irregularis. *Tubus* recurvus. *Faux* ventricosa, gibba. *Limbus* quinquefidus: *laciniis* subrotundis, concavis; *duabus superioribus* assurgentibus, brevioribus; *tribus inferioribus* patentibus; *intermedia* angustiore.

STAM. *Filamenta* quatuor, filiformia, compressa, tubo corollae inserta, basi villosa, duo breviora. *Antherae* inclusae, sagittatae, incumbentes, biloculares.

PIST. *Germen* obovatum. *Stylus* subulatus, recurvus, longitudine corollae. *Stigma* oblongum, compressum, bifidum; *lacinia superiori* canaliculata, alteram semivaginantem.

PER. *Capsula* obovata, obtusa, bisulca, stylo acuminata, bilocularis, bivalvis; *valvulis* bifidis. *Dissepimentum* contrarium.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula bilocularis. *Corolla* irregularis, subcampanulata, recurva. *Antherae* sagittatae. *Stigma* lacinia superiori alteram semivaginantem.

Species duae. Suffrutices.

Genus *Virgularia* a caulium virgatorum copia appellavimus.

EXPLIC. ICONIS XIX. VIRGULARIA.

1. Flos integer. 2. Calyx. 3. Corolla scissa, stamina ostendens. 4. Pistillum. 5. Capsula cum calyce. 6. Capsula. 7. Capsula aperta. 8. Semina.

GOMARA.

CAL. *Perianthium* oblongum, quinquefidum: *laciniis* lanceolatis, acutis, erectis, aequalibus; inferum, persistens.

COR. irregularis. *Tubus* curvatus, inferne dilatatus, in medio coarctatus. *Faux* ampliata. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* oblongis, obtusis, concavis; *quatuor superioribus* aequalibus; *inferiori* profundiori, productiori.

Nectarium cyathiforme, breve, membranaceum, persistens.

STAM. *Filamenta* quatuor, filiformia, brevia, infra tubi coarctationem inserta, quorum duo breviora. *Antherae* ovatae.

PIST. *Germen* oblongiusculum. *Stylus* brevissimus, persistens. *Stigma* simplex, capitatum.

PER. *Capsula* obovata, obsolete tetragona, bisulca, bilocularis, bivalvis: *valvulis* bifidis.

SEM. plura, oblonga, minima.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula bilocularis. *Corollae Lacinae* concavae. *Nectarium* cyathiforme, membranaceum. *Stigma* capitatum.

OBSERVATIO. *Faux* corollae intus hirsuta.

Species unica. Frutex.

Genus dicatum *Francisco Lopez de Gomara*, Hispano, qui in *Indiarum Historia generali* multa de Plantis diligenter collegit: laudatur a Tournefortio in *Isagoge Inst. R. Herb.* pag. 34.

EXPLIC. ICONIS XIX. GOMARA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla*. 4. *Corolla* scissa, stamina exhibens. 5. *Nectarium*. 6. *Stamina*. 7. *Pistillum*. 8. *Capsula* in calyce. 9. *Capsula* in nectario. 10. *Capsula* aperta. 11. *Semina*.

SALPIGLOSSIS.

CAL. *Perianthium* quinqueangulare, quinquefidum: *laciniis* lanceolatis, acutis, aequalibus; *inferioribus tribus* profundioribus; persistens.

COR. maxima, infundibuliformis. *Tubus* tenuis, calyce duplo longior. *Faux* dilatata, campanulata, angulata, plicata. *Limbus*

inaequalis, patens, quinquepartitus: *laciniis* ovatis, emarginatis, *superiore* latiore.

STAM. *Filamenta* quatuor, subulata, medio tubi inserta, inclusa, quorum duo breviora. *Antherae* ovatae, didymae, basi bifidae, conniventes, duae staminum longiorum minores. *Rudimentum* quinti filamenti inter duo stamina longiora.

PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* staminum longitudine, lingulatus, inferne tenuis, sursum sensim ampliatus, planus, circa apicem denticulo utrinque notatus. *Stigma* truncatum.

PER. *Capsula* ovata, calyce inclusa, bilocularis, bivalvis: *valvulis* bifidis. *Dissepimentum* parallelum. *Receptaculum* dissepimento utrinque adnatum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula bilocularis. *Corolla* infundibuliformis. *Stylus* superne ampliatus, lingulatus, planus, denticulo utrinque notatus.

Species unica. Herba.

Genus *Salpiglossis* a stylo lingulam tubaeformem referente nominavimus.

EXPLIC. ICONIS XIX. SALPIGLOSSIS.

1. *Calyx*. 2. *Corolla*. 3. *Eadem* scissa stamina, et rudimentum ostendens. 4. *Pistillum*. 5. *Capsula* cum calyce. 6. *Capsula*. 7. *Capsula* aperta. 8. *Semina*. 9. *Receptaculum*.

MECARDONIA.

CAL. *Perianthium* heptaphyllum: *foliolis* duobus exterioribus subulatis, brevioribus; *tribus intermediis* ovatis, acutis, latioribus; *duobus interioribus* lanceolato-subulatis, intermediorum longitudine: *duobus exterioribus* deciduis: *reliquis* persistentibus.

COR. subringens. *Tubus* oblongus, ventricosus, calyce brevior. *Labium* superius bifidum, obtusum, reflexum. *Labium* inferius tripartitum: *laciniis* obovatis, obtusis.

STAM. *Filamenta* quatuor, filiformia, longitudine fere tubi, quorum duo breviora. *Antherae* bifidae, intra faucem.

PIST. *Germen* ovato-oblongum. *Stylus* filiformis, staminibus brevior, apice compresso, incurvo. *Stigma* obtusum.

PER. *Capsula* ovato-oblonga, unilocularis, bivalvis, superne dehis-
cens.

SEM. plurima, ovata, striata, *Receptaculo* tereti, acuminato affixa.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula unilocularis. *Corolla* subringens. *Calyx* heptaphyllus.

OBSERVATIO. Differt a *Calytriplici*, cui valde affine, *Foliolis* tribus intermediis
calycis disjunctis, *Limbo corollae* ringente, *Antheris* bifidis, *Stylo* apice
compresso, incurvo, *Capsula* uniloculari, *Receptaculo* tereti, acuminato.
Species unica. Herba.

Genus dicatum D. Antonio de Meca et Cardona, Ciutadillae Marchioni, qui
Regio Chirurgiae Collegio Barcinonensi fundum Horto Botanico conse-
rendo destinatum liberaliter concessit.

CALYTRIPLEX.

CAL. *Perianthium* triplex, inferum, persistens; *exterius* diphyllum:
foliolis subulatis, parvis, patentibus; *intermedium* tripartitum:
laciniis ovatis, acutis; *interius* diphyllum: *foliolis* lanceolato-li-
nearibus.

COR. irregularis. *Tubus* brevis. *Limbus* quinquefidus: *laciniis* subro-
tundis, emarginatis, *duabus superioribus* latioribus.

STAM. *Filamenta* quatuor, fauci inserta, corolla breviora, duo lon-
giora. *Antherae* oblongae.

PIST. *Germen* ovatum, compressiusculum. *Stylus* filiformis, decli-
natus, longitudine staminum. *Stigma* capitatum.

PER. *Capsula* ovata, bilocularis, bivalvis: *valvulis* bifidis.

SEM. plurima, parva, sulcata, transversim striata. *Receptaculum*
dissepimento utrinque adnatum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Capsula bilocularis. *Corolla* irregularis. *Calyx* triplex, intermedius tripartitus.

OBSERVATIO. Differt a *Mecardonia* *foliolis* tribus intermediis *calycis* basi con-
natis, *Limbo corollae* subaequali, *Antheris* integris, *Stylo* declinato,
Stigmate capitato, *Capsula* biloculari, *Receptaculo* dissepimento utrinque
adnato.

Species unica. Herba.

Genus *Ecalytriplex* a calyce triplici, quod in hac classe rarum admodum est, nominavimus.

EXPLIC. ICONIS XIX. CALYTRIPLEX.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx* triplex. 3. *Calyx* exterior. 4. *Calyx* intermedius. 5. *Calyx* interior. 6. *Corolla*. 7. *Stamina*. 8. *Pistillum*. 9. *Capsula* cum calycibus. 10. *Capsula*. 11. *Capsula* aperta. 12. *Semina*. 13. *Receptaculum*.

CLAS. XVI. ORD. VI. MONADELPHIA POLYANDRIA.

CAVANILLESIA.

CAL. *Perianthium* quinquepartitum, *laciniis* ovatis; inferum, persistens.

COR. *Petala* quinque, lanceolata, acuta, tubo staminum affixa.

STAM. *Filamenta* plurima, inferne in cylindrum coalita, superne libera. *Antherae* ovatae, erectae.

PIST. *Germen* oblongum, parvum, pentagonum. *Stylus* cylindricus, staminibus longior. *Stigma* capitatum.

PER. magnum, pentapterum, membranaceum, venosissimum venis ramosis, intertextis, uniloculare, e valve, monospermum.

SEM. oblongum, leviter striatum: *Cotyledonibus* plicatis rugosis.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Monogynia. *Calyx* simplex. *Pericarpium* maximum, membranaceum, pentapterum. *Semen* unicum.

OBSERVATIO. *Pericarpium* inter *Prunas* siccas recensendum videtur, uti *Linnaeus* *Ulmi Pericarpium*, cui figura, et substantia simillimum est, recensuit. Sed cum *Jussieus* *Ulmi Pericarpium Capsulam*, et *Schreber* *Baccam* vocaverit; nostri Generis *Pericarpium* determinare praetermisimus, omnibus tamen ejus partibus descriptis. *Seminum* autem *cotyledones* adeo insignes sunt, ut e re visum fuerit eos describere, et in *Icone* exhibere.

Species unica. Arbor.

Genus nuncupatum *D. Antonio Josepho Cavanilles* Hispano-Valentino Philosopho, et Botanico insigni, qui indefesso labore, variis pere-

grinationibus, et praestantibus operibus Botanicon universam inter alios, hanc autem ipsam Monadelphiae classem prope unus illustravit.

EXPLIC. ICONIS XX. CAVANILLESIA.

1. *Calyx*. 2. *Corolla* cum staminibus. 3. *Petalum*. 4. *Pistillum*. 5. *Pericarpium* scissum, semen ostendens. 6. *Semen*. 7. *Arillus*, sive tunica propria seminis. 8. *Semen* ab arillo liberum. 9. *Idem* explicatum (*).

CLAS. XVII. ORD. IV. DIADELPHIA DECANDRIA

NEGRETIA (LLAMAPAÑAUI).

CAL. *Perianthium* campanulatum, bilabiatum. *Labium inferius* trifidum: *lacinjiis* acutis: *intermedia* productioni, *Labium superius* ovatum, erectum, integrum.

COR. papilionacea,

Vexillum sagittato-ovatum, assurgens, integrum.

Alae dolabriformes, basi lunulatae, carinae longitudine.

Carina falcata, ab apice ad gibbositatem bifida.

STAM. *Filamenta* diadelphea (simplex, et novemfidum) simplex filiformis, rectus. *Antherae* simplices: quarum *quinque* breviores, ovatae, hirsutiores; *reliquae* lineares.

PIST. *Germen* oblongum. *Stylus* subulatus, incurvus. *Stigma* capitatum, pubescens.

PER. *Legumen* oblongum, acuminatum, torosum, magnum, uniloculare, dissepimentis transversalibus interceptum, sutura superiori dehiscens.

(*) Circa Generis *Cavanillesia* nomenclaturam, atque etiam Generis *Humboltia*, et Generis *Desfontainia* ingenue protestatur Ruizius (Resp. p. 69.), quod si praedicta nomina revera sint, ut vult Cavanillesius, jam pridem aliis novis Generibus ab his distinctis injuncta: tunc ab his posterioribus deleantur, et in illis prioribus conserventur. Nam in foro etiam Botanico: qui prior est in tempore, potior est in jure: sin autem res aliter se habet, unumquodque ex praedictis Generibus jus nomenque suum semper retinere debet.

Respublica enim Botanica juxta id, quod in hujus Prodro-
mi Praefatione dicitur,

scilicet, quod ejus auctores merito verebantur, ne aliqua e Generibus, quae hic tamquam nova exhibentur, fortasse jam pridem praeter eorum opinionem ab aliis scriptoribus evulgata fuerint etc. facile recteque judicabit, si aliqua nomenclatio fuerit anteoccupata, quae a Prodro-
mi auctoribus sit postea inscienter alicui, ut Cavanillesio *Cavanillesia*, secundum ejus opinionem, nuncupata; tunc igitur hujus Prodro-
mi auctores protestantur, nemini injuriam facere voluisse, imo potius eos credidisse, se obsequium praestare et Cavanillesio, et ceteris viris illustribus, quorum nomina ad nova sua Genera magis illustranda mutuati sunt.

SEM. 2, 3, 4, orbiculata, utrinque convexa, hilo bialato, cristato, scarioso, per basim foraminulato, ultra medium cincta.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Vexillum sagittato-ovatum, alis brevius. *Antherae* difformes. *Semina* orbicularia, hilo cristato ultra medium cincta.

OBSERVATIO. Genus certe, ut ex characteris generici naturalis descriptione patet, omnino a *Dolicho* Linnaei diversissimum est. Ad hoc ipsum Genus referri debent *Dol. urentis*, et *altissimi* species Linn. *Spec. plant.* pag. 1020. et 1019. Jacq. *Stirp. select. Amer.* pag. 100. tab. 189. et pag. 100. tab. 190.

Species quatuor. Suffrutices volubiles.

Genus dicatum *Ex. D. Emmanueli de Negrete*, Comiti del Campo de Alange, rei bellicae Administro, qui inter furentis belli curas Collegium Chirurgiae Barcinoniense Botanices Professore sub regiis auspiciis auxit, et novum Hortum conserendum curat.

EXPLIC. ICONIS XXI. NEGRETIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calix*. 3. *Vexillum*. 4. *Alae*. 5. *Carina*. 6. *Stamen* novemfidum. 7. *Stamen* simplex. 8. *Antherae*: ovata, et linearis. 9. *Pistillum*. 10. *Legumen*. 11. *Semen*.

CLAS. XVIII. ORD. IV. POLYADELPHIA POLYANDRIA

TERNSTROEMIA. MUTIS

LINN. SUPP. pag. 39.

CAL. *Perianthium* heptaphyllum: *foliolis* orbicularibus, concavis; coriaceis, lateraliter incumbentibus, duobus exterioribus parvis; persistens.

COR. aut quinquepartita, patens; aut globosa, quinquedentata.

STAM. *Filamenta* numerosissima, corolla breviora, subulata, flexuosa, leviter in quinque corpora basi corollae coalita. *Antherae* oblongae, acuminatae, utrinque longitudinaliter dehiscentes.

PIST. *Germen* superum, ovatum. *Stylus* subulatus, staminibus longior, declinatus, persistens. *Stigma* leviter emarginatum.

PER. *Capsula* ovata, corticosa, acuminata, bilocularis, in quatuor partes, inaequales, patentes elastice dehiscens.

SEM. bina, obovata, hinc convexa, inde plana, coriacea, bilocularia, per apicem receptaculo inserta. *Nuclei* oblongi.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx heptaphyllus: *foliolis* duobus exterioribus parvis. *Capsula* acuminata, bilocularis, inaequaliter elasticitate dehiscens. *Semina* bilocularia.

OBSERVATIO. *Ternstroemia globosa* *Corollis* globosis, ore parvo quinquedentato, staminibus 12-18. *Ternst. quinquepartita* *Corollis* 5partitis, patentibus, staminibus numerosis gaudet.

Species duae. Frutices.

Hoc Genus a cl. *Mutiso* constitutum, et a Linnaeo filio in *Supp.* evulgatum ex autopsia duarum Specierum reformamus, et Icone illustramus. Ad hanc vero classem ob insertionem staminum veluti in quinque corpora, aut potius congeries illud reduximus.

EXPLIC. ICONIS XXI. TERNSTROEMIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx* superne visus. 3. *Calyx* subtus conspectus. 4. *Corolla* primae speciei cum staminibus. 5. *Lacinia* corollae cum staminum corpore. 6. *Corolla* alterius speciei. 7. *Eadem* scissa, stamina exhibens. 8. *Pistillum*. 9. *Capsula* cum calyce. 10. *Eadem* per medium secta. 11. *Capsula* naturaliter disrupta cum receptaculo. 12. *Semina*. 13. *Semen* transversim sectum, ut duo loculamenta appareant. 14. *Nuclei*.

PALAUA.

CAL. *Perianthium* pentaphyllum: *foliolis* obovatis, concavis; interioribus duobus angustioribus, margine membranaceis; inferum, persistens.

COR. *Petala* quinque, obcordata, unguibus ciliata, basi leviter cum staminibus connata, simulque decidentia.

STAM. *Filamenta* plurima, subulata, apice incurva, unguibus petalorum inserta, in quinque phalanges disposita. *Antherae* incumbentes, oblongae, basi bifidae, biperforatae.

PIST. *Germen* ovatum, obtuse pentagonum. *Styli* quinque, filiformes. *Stigmata* reniformia.

PER. *Capsula* ovata, obtuse pentagona, stylis coronata, quinquelocularis, angulis quinquevalvis.

SEM. plurima, parva, obovata, tetragona, truncata, punctata. *Receptacula* subrotunda.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx pentaphyllus, inferus. *Corolla* pentapetala, unguibus ciliata. *Antherae* basi biperforatae. *Capsula* quinquelocularis.

OBSERVATIO. Flores raro hexapetali, rarissime heptapetali deprehenduntur. Species tres. Frutices.

Genus dicatum *D. Antonio Palau*, in Horto Regio Matritensi alteri Botanices Professori, viro in Plantarum examine, et cognitione, diligentia, et perspicacia, docendique assiduitate cum paucis comparando, clarissimo Linnaeanae doctrinae tam verbis, quam scriptis evulgatis assertori: quique Plantarum suo nomini ante hac a D. Cavanilles consecratarum speciminibus siccis accurate recognitis, easdem Malopes species asseverat; et hoc novum Genus a nobis grati animi, et obsequii pignus levidense humaniter accipit.

EXPLIC. ICONIS XXII. PALAUA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Corolla* cum staminibus. 4. *Petalum* cum una staminum phalange. 5. Alterum *Petalum* absque staminibus. 6. *Phalanx* staminum a petalo libera. 7. *Stamen* auctum, duos poros exhibens. 8. *Pistillum*. 9. *Capsula* clausa cum calyce. 10. *Eadem* aperta cum calyce. 11. *Receptacula* cum nonnullis seminibus, et stylis persistentibus. 12. *Semina*.

VISMIA (VANDELL.)

CAL. *Perianthium* quinquepartitum: *laciniis* lanceolatis, concavis, margine membranaceis, in flore erectis, in fructu dependentibus; inferum, persistens.

COR. *Petala* quinque, obovata, patentia, intus hirsutissima, extus punctata.

Nectarium: *Glandulae* quinque, oblongae, germen ambientes, staminum corpusculis alternantes, hirsutae.

STAM. *Filamenta* plurima, capillaria, hirsutissima, in quinque corpora linearia, plana, superne penicilli instar disposita, unguibus petalorum, et receptaculo affixa. *Antherae* parvae, subrotundae, biloculares, secundae, extrorsum spectantes.

PIST. *Germen* ovatum, quinqueangulare. *Styli* quinque, filiformes, flexuosi, longitudine fere corollae. *Stigmata* peltata, umbilicata.

PER. *Bacca* ovata, obsolete pentagona, stylis patentibus coronata, punctata, quinquelocularis.
SEM. plurima, oblonga.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx quinquepartitus, in fructu dependens. *Corolla* pentapetala, intus hirsutissima. *Nectarium* glandulis quinque. *Stigmata* peltata, umbilicata. *Bacca* quinquelocularis.

Species duae. Arbores.

Hoc genus, quamvis *Hyperico* proximum, distinctum certe, constituunt *Laciniae Calycis* in fructu dependentes; *Petala* obovata, intus hirsutissima, *Nectarium* glandulosum, *Stamina* in quinque corpora linearia, plana, penicilli instar disposita, *Antherae* secundae, *Stigmata* peltata, umbilicata, et *Pericarpium* baccatum. Adde *habitum* Specierum diversissimum, *succum* croceum, quo species scitent, et *puncta* foliolorum calycis et petalorum prominula non excavata, nec pellucida, ut in *Hyperici* speciebus observantur. Species *Hyp. Cayenensis bacciferi*, et *petiolati* huc referri debent.

Genus *Vismiae* a *Vanhellio* in *Flor. Lus. et Bras.* pag. 51. tab. 3. fig. 24. evulgatum descriptione et Icone perficere conamur.

EXPLIC. ICONIS XXII. VISMIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Petala* interius visa. 4. *Petalum* cum corpore staminum. 5. *Pistillum*, *Glandulae*, et *Corpora* quinque staminum in receptaculo. 6. Duo staminum *Corpora* antice et postice visa. 7. *Pistillum*, et *Glandulae* in receptaculo. 8. *Bacca* cum calyce. 9. *Bacca* secta. 10. *Semina*.

CLAS. XIX. SYNGENESIA POLYGAMIA AEQUALIS.

TRIPTILION (*SIEMPREVIVA* seu *semperviva*).

CAL. communis oblongus, imbricatus: *Squamis* 10-11, pungentibus, margine scariosis; *exterioribus* subulatis, inaequalibus, subsquarrosis; *interioribus* lanceolatis, adpressis, aequalibus.
COR. composita, uniformis: *Corollulae Hermaphroditae* quinque, aequales.

Propria bilabiata; labio *superiori* ligulato, obovato, truncato, tridentato, reflexo; *inferiori* parvo, ovato, integro, revoluto.

STAM. *Filamenta* quinque, capillaria, brevissima. *Anthera* cylindracea, tubulosa.

PIST. *Germen* obovatum, trigonum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigmata* duo reflexa.

PER. nullum. *Calyx* oblongo-ovatus, connivens.

SEM. obverse conica, trigona. *Pappus* plumulis tribus.
 REC. villosum, planum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Receptaculum villosum. *Pappus* plumulis tribus. *Corollulae* bilabiatae.

Species unica. Herba.

Genus *Triptilion* a pappi plumulis tribus nominavimus.

EXPLIC. ICONIS XXII. TRIPTILION.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Squamae* duae exteriores, altera aucta. 4. Duae interiores, altera aucta. 5. *Flosculus* Hermaphroditus. 6. *Corollula*. 7. *Anthera*. 8. *Eadem* aucta. 9. *Pistillum*. 10. *Semen* cum tribus plumulis. 11. *Semen* absque plumulis. 12. *Plumulae*. 13. *Receptaculum*.

MOSCHARIA (*ALMIZQCLILLO*).

CAL. communis ovatus, hexaphyllus: *foliolis* ovatis, concavis, submembranaceis.

COR. composita, uniformis: *Corollulae Hermaphroditae* plures; *octo exteriores* squamis totidem carinatis semicinctae; *reliquae interiores* squamulis lineari-lanceolatis interpositae.

Propria monopetala, ligulata, lineari-lanceolata, truncata tridentata.

STAM. *Filamenta* quinque, capillaria, brevissima. *Anthera* cylindracea, tubulosa.

PIST. *Germen* obovatum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigmata* duo-erecto-potentia.

PER. nullum. *Calyx* ovatus, connivens.

SEM. obovata: *octo exteriora Pappo* brevi, plumoso coronata: *reliqua interiora* absque *Pappo*.

REC. planum, paleaceum: *paleis* exterioribus carinatis, reliquis lineari-lanceolatis.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Receptaculum paleaceum. *Pappus* plumosus. *Semina* disci nuda. *Calyx* simplex, aequalis, hexaphyllus.

Species unica. Herba.

Genus *Moscharia*, a Moschi odore, quem tota planta spirat, appellavimus.

P L A Z I A.

CAL. communis ovatus, imbricatus: *Squamis* plurimis, lanceolatis erectis.

COR. Composita, radiata: *Corollulae Hermaphroditae*, numerosae in disco, quinquefidae: *Hermaphroditae* pauciores in radio, trifidae.

Propria Disci infundibuliformis, semiquinquefida: *laciniis* revolutis.

Propria Radii infundibuliformis, semitrifida: *laciniis* duabus interioribus linearibus, revolutis; *exteriori* paulo longiori, amplissima, trifida, patenti.

STAM. *Filamenta* quinque, capillaria, brevissima, fauci inserta. *Anthera* tubulosa, curvata.

PIST. *Germen* lineari-oblongum, angulatum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* bifidum: *laciniis* adpressis.

PER. nullum. *Calyx* immutatus.

SEM. lineari-oblonga, angulata. *Pappus* pilosus.

REC. nudum, planum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Receptaculum nudum. *Pappus* pilosus. *Calyx* imbricatus. *Corolla* subradiata. *Corollulae radii* semitrifidae.

Species unica. Frutex.

Genus dicatum D. Joanni Plaza, Medico Valentino, quem honorifice appellat Carolus Clusius memor Plantarum et observationum, quas ab eo acceperat, tum praesens, dum per Valentiam iter faceret, tum etiam per epistolas.

SYNG. POLYGAM. FRUSTRANEA.

B A C A S I A.

CAL. communis ovatus, imbricatus: *Squamis* scariosis; *exterioribus* ovato-lanceolatis, erectis, adpressis; *interioribus* linearibus, subaequalibus, erectis.

COR. composita, radiata. *Corollulae Hermaphroditae* octo in radio; unica *Hermaphrodita*, sterilis, tubulosa in disco.

Propria Radii ligulata, quadridentata, patens, calyce duplo longior: *Seta* filiformi, revoluta, ori tubi inserta.

Propria Disci tubulosa, amplissima, longitudine calycis, quinquefida.

STAM. *Radii*: *Filamenta* quinque, inter se in cylindrum adpressa, capillaria. *Anthera* cylindracea, longitudine corollae.

Disci: *Filamenta* nulla. *Anthera* tubulosa, sterilis, apice leviter quinquefida, fundo corollulae insidens.

PIST. *Radii*: *Germen* obovatum, angulatum, villosum. *Stylus* filiformis, longitudine corollae. *Stigma* bifidum.

Disci: *Germen* magnum, villosum, sterile. *Stylus* brevis, superne incrassatus. *Stigma* simplex, perforatum.

PER. nullum. *Calyx* immutatus, connivens.

SEM. *Radii* obovata, angulata, villosa. *Pappus* plumosus, longitudine calycis.

Disci nullum, nisi corpus magnum, fungosum. *Pappus* setaceo-plumosus, corollula dimidio brevior.

REC. parvum, pilosum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Receptaculum pilosum. *Pappus* plumosus. *Corollula* solitaria in disco, tubulosa, sterili. *Filamenta radii* in cylindrum.

OBSERVATIO. *Flosculus* disci valde singularis est. *Filamenta radii* in cylindrum coalita, sicuti in *Lobeliis*, sed facillime segregantur. In *Bac. spinosa* reperiuntur aliquando 2, 3, 4 flores in disco.

Species duae. Frutescentes.

Genus dicatum *D. Gregorio Bacas*, in Regio novae Carthaginis Horto, Botanices Professori.

EXPLIC. ICONIS XXII. BACASIA.

1. *Flos* integer. 2. *Squama* exterior. 3. *Squama* interior. 4. *Calyx*. 5. *Flosculus* radii. 6. *Receptaculum* pilosum. 7. *Flosculus* disci. 8. *Corollula* disci scissa, antheram, corpus fungosum, et pappum ostendens. 9. *Semen* radii cum pappo,

ORD. POLYGAMIA SUPERFLUA.

CHAETANTHERA.

CAL. *communis* polyphyllus; *foliolis* imbricatis; *exterioribus* lanceolatis, ciliatis; *intermediis* linearibus, superne ciliatis; *interioribus* linearibus, scariosis, apice sphacelatis, seta terminatis.

COR. *composita*, radiata: *Corollulae Hermaphroditae* numerosae in disco; *femineae* pauciores in radio.

Propria Disci tubulosa, bifida: *lacinia interiori* bidentata; *exteriori* tridentata.

Propria Radii linearis, tridentata, ad incisuram *lacinia* tenuissima, bifida; *lacinulis* spiralibus, cirrhiformibus, *stylo* longioribus.

STAM. *Disci*: *Filamenta* quinque, brevissima, capillaria. *Anthera* cylindracea, inferne setis decem villosis, apice quinquedentata.

Radii: *Filamenta* quinque, subulata, erecta. *Anthera* nulla.

PIST. *Disci*: *Germen* oblongum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* bifidum, erectum.

Radii: *Germen* simillimum disci. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* bifidum, erectum.

PER. nullum. *Calyx* connivens.

SEM. *Disci* obovata: *Pappus* pilosus.

Radii simillima disci: *Pappus* pilosus.

REC. nudum, planum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Receptaculum nudum. *Pappus* pilosus. *Calyx* polyphyllus, ciliatus. *Corollulae disci* bifidae. *Anthera* setis decem. *Stamina radii* castrata.

Species duae. Herbae.

Genus *Chaetanthera* ab *antherarum* setis, quae in *Chaetanthera* duplo plures, quam in *Inula* et *Mutisia*, nominavimus.

EXPLIC. ICONIS XXII. CHAETANTHERA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Foliolum* exterius calycis. 4. *Foliolum* intermedium calycis. 5. *Calycis Foliola* interiora, et unicum intermedium. 6. *Flosculus* disci. 7. *Corollula* disci. 8. *Anthera* cum setis decem. 9. *Pistillum*. 10. *Semen* disci cum pappo. 11. *Flosculus* radii. 12. *Corollula* radii cum filamentis. 13. *Pistillum*. 14. *Semen* radii cum pappo.

MUTISIA.

CAL. *communis* cylindricus, imbricatus: *Squamis* lanceolatis, superne coarctatis, deflexo uncinatis.

COR. *composita*, radiata: *Corollae Hermaphroditae* numerosae in disco; *Femineae* pauciores in radio.

Propria Hermaphroditis tubulosa, profunde trifida; *laciniis* aequalibus, linearibus, revolutis; *lateralibus duabus* angustioribus, acutis, integris; *intermedia* tridentata, lateralibus triplo latiore.

Femineis ligulata, lanceolata, tridentata; *Seta* brevi ad basim ligulae.

STAM. *Hermaphroditis*: *Filamenta* quinque, filiformia. *Anthera* cylindracea, tubulosa, quinesulcata, apice quinquefida, basi in setas quinque villosas desinens.

Femineis: *Rudimenta Filamentorum* quinque, tenuissima, brevissima, patentia.

PIST. *Hermaphroditis*: *Germen* parvum, lineare, tetragonum. *Stylus* filiformis longitudine antherae. *Stigmata* duo.

Femineis: *Germen* Hermaphroditis simillimum. *Stylus* filiformis, corollula duplo brevior. *Stigmata* duo.

PER. nullum. *Calyx* vix immutatus.

SEM. *Hermaphroditis* solitaria, linearia, obtuse tetragona. *Pappus* plumosus.

Femineis simillima Hermaphroditis. *Pappus* ut in Hermaphroditis.

REC. nudum, punctatum, excavatum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Receptaculum nudum. *Pappus* plumosus. *Corollulae* disci trifidae. *Femineis* *Rudimenta* filamentorum quinque. *Anthera* basi quinqueseta.

OBSERVATIO. In *Mut. lanata* *Calyx* squarrosus; *Setae*, quam in ceteris Speciebus, longiores.

Species quatuor. Suffrutices.

Genus *Mutisia* in memoriam D. *Josephi Caelestini Mutis*, Hispani, summi, ut ipse eum appellat, Americes Botanici, a Linnaeo f. constitutum libenter retinemus, quatuor Speciebus adaugemus, characterem reformamus, et Icone illustramus.

EXPLIC. ICONIS XXIII. MUTISIA.

1. *Flos* integer. 2. *Squama* exterior. 3. *Squama* intermedia. 4. *Squama* interior. 5. *Flosculus* disci. 6. *Corollula* disci. 7. *Anthera* cum filamentis, et setis. 8. *Flosculus* radii. 9. *Pistillum*. 10. *Semen* cum pappo. 11. *Receptaculum*.

MUNNOZIA.

CAL. *communis* campanulatus, imbricatus: *Squamis* adpressis, membranaceis; *exterioribus* ovatis, latioribus; *interioribus* lineari-lanceolatis, *intimis* angustissimis, trifidis.

COR. *composita*, radiata. *Corollulae Hermaphroditae* plurimae in disco; *Femineae* plurimae in radio.

Propria Hermaphroditis infundibuliformis. *Tubus* tenuis. *Limbus* campanulatus, semiquinquefidus.

Feminea ligulata, lineari-lanceolata, deorsum angustata, tridentata.

STAM. *Hermaphroditis*: *Filamenta* quinque, capillaria, brevia. *Anthera* cylindracea, tubulosa.

PIST. *Hermaphroditis*: *Germen* cuneiforme. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigmata* duo, filiformia.

Femineis simillimum *Hermaphroditis*.

PER. nullum. *Calix* patenti-reflexus.

SEM. *Hermaphroditis* solitaria, obovata, truncata, striata. *Pappus* pilosus.

Femineis simillima *Hermaphroditis*.

REC. convexum, favosum, cellulis margine ciliatis.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Receptaculum favosum, ciliatum. *Pappus* pilosus. *Calyx* imbricatus, *squamis* *intimis* angustissimis, trifidis.

Species duae. Herbae.

- ¶ Genus dicatum D. Joanni Baptistae Munnozio, perdocto Indiarum Cosmographo, qui multa de Plantis scitu digna in *Novi Orbis Historia* inseruit, quam jussu Regio singulari diligentia, acri judicio, incorrupta fide et ceteris dotibus, quae Philosophum historiam tractantem vere deceant, persequitur.

EXPLIC. ICONIS XXIII. MUNNOZIA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Calycis Squama exterior*. 4. *Squama intermedia*. 5. *Squama interior*. 6. *Flosculus* disci. 7. *Corollula* disci. 8. *Anthera* cum filamentis. 9. *Pistillum* disci cum pappo. 10. *Semen* disci cum pappo. 11. *Flosculus* radii. 12. *Pistillum* radii cum pappo. 13. *Semen* radii auctum. 14. *Calyx* patens, ut *Receptaculum* appareat.

SOBREYRA.

CAL. *Perianthium* commune, magnum, tetragonum, tetraphyllum: *foliolis* ovato-cordatis, superne patentibus, *duobus oppositis* majoribus.

COR. *composita* radiata: *Corollulae Hermaphroditae*, numerosae in disco, *Femineae* sexdecim in radio.

Propria Hermaphroditis infundibuliformis, quinquefida: *laciniis* reflexis.

Feminea ligulata, superne latior, truncata, tridentata, *hermaphroditis* brevior.

STAM. *Hermaphroditis*: *Filamenta* quinque, capillaria, brevissima. *Anthera* cylindrica, tubulosa.

PIST. *Hermaphroditis*: *Germen* obovatum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigmata* duo reflexa.

Femineis: *Germen* obovatum. *Stylus* filiformis, longitudine *hermaphroditi*. *Stigmata* duo, reflexa.

PER. nullum. *Calyx* immutatus.

SEM. *Hermaphroditis* solitaria, obovata, singulum obvolutum intra paleam, trigonam, obovatam, obsolete tridentatam, ciliatam, extus convexam. *Pappus* nullus.

Femineis simillima *hermaphroditis*.

REC. convexum, paleaceum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Receptaculum paleaceum. *Pappus* nullus. *Calyx* tetragonus, tetraphyllus. *Corollulae* femineae *hermaphroditis* breviores.

Species unica. Herba aquatica.

Genus nuncupatum R. P. Joanni Sobreyra et Salgado, e Benedictinorum familia, R. Hist. Acad. sodali, Galleciae, Plantarum, et Antiquitatum indefesso, et felici admodum scrutatori.

EXPLIC. ICONIS XXIII. SOBREYRA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx* postice visus. 3. *Flosculus hermaphroditus*. 4. *Corollula*. 5. *Anthera* cum filamentis. 6. *Pistillum*. 7. *Semen hermaphroditum*. 8. *Flosculus femineus* cum palea. 9. *Idem* absque palea. 10. *Pistillum*. 11. *Semen femineum*. 12. *Receptaculum* cum paleis. 13. *Palea*.

GALINSOGA.

CAL. *communis* hemisphaericus, imbricatus. *Squamis* oblongo-ovatis, adpressis concavis: *interioribus aequalibus*.

COR. *composita* radiata: *Corollulae Hermaphroditae* plures in disco: *Femineae* pauciores in radio.

Propria Hermaphroditis, infundibuliformis, quinquedentata, erecta.

Feminea ligulata, obovata, truncata, trifida.

STAM. *Hermaphroditis*: *Filamenta* quinque, capillaria, brevissima. *Anthera* tubulosa, cylindracea.

PIST. *Hermaphroditis*: *Germen* obverse conicum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigmata* duo, revoluta.

Femineis simillimum hermaphroditis.

PER. nullum. *Calyx* erectus, tandem deflexus.

SEM. *Hermaphroditis* solitaria, obverse conica, angulata, parum incurva. *Pappus* paleaceus: *Paleae* (circiter 20.) lineares, patientes, ciliatae, *alternae* paulo breviores.

Femineis simillima hermaphroditis. *Pappus* tenuior, brevior.

REC. parvum, conicum, paleaceum, *Paleis* linearibus 2, 3, 4-bifidis, integrisque.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Receptaculum paleaceum. *Pappus* radiatus, paleaceus: paleis ciliatis. *Flosculi* radii pauciores, truncati, trifidi.

OBSERVATIO. *Corollulae* radii aliquando quatuor, aut sex, aliquando bifidae. Species duae. Herbae.

Genus dicatum D. D. Mariano Martinez de Galinsoga, Reginae Medico primario dignissimo, R. Horti Botanici Matritensis Praefecto, Consiliario Regio, et Botanices strenuo Promotori.

EXPLIC. ICONIS XXIV. GALINSOGA.

1. *Flos* integer. 2. *Calyx*. 3. *Flosculus* disci. 4. *Corollula* disci. 5. *Anthera* cum filamentis. 6. *Pistillum* disci. 7. *Semen* disci magnitudinis naturalis cum pappo. 8. *Semen* auctum cum pappo. 9. *Flosculus* radii. 10. *Corollula* radii. 11. *Pistillum* radii. 12. *Semen*. 13. *Semen* radii auctum. 14. *Pappus* auctus. 15. *Receptaculum* cum calyce, et paleis. 16. *Idem* absque paleis. 17. *Paleae* (*).

(*) Character Genericus, et Differentialis Exemplari proponitur, ob Auctorum postremam correctionem ad nos transmissam.

MOLINA.

* *Flores Hermaphroditi masculi.*

CAL. *communis* campanulatus, imbricatus: *Squamis* ovato-lanceolatis, erectis.

COR. *composita* uniformis, tubulosa: *Corollulae Herm. masculae* plurimae, aequales.

Propria infundibuliformis. *Limbus* quinquefidus: *laciniis* revolutis.

STAM. *Filamenta* quinque, capillaria, brevissima. *Anthera* tubulosa, cylindracea.

PIST. *Germen* minimum. *Stylus* filiformis, corollulis longior, semibifidus. *Stigmata* acuta, invicem adpressa.

PER. nullum. *Calyx* marcescens.

SEM. nulla, nisi rudimenta minima. *Pappus* pilosus.

REC. nudum, convexum, punctatum.

* *Flores Feminei in diversa planta.*

CAL. *communis* ovatus, imbricatus: *Squamis*, ut in hermaphroditis.

COR. *composita* uniformis: *Corollulae* Femineae, numerosissimae, aequales.

Propria tubulosa, linearis, tenuissima, quinquedentata, pappo brevior.

PIST. *Germen* obovatum. *Stylus* filiformis, pappo duplo longior.

Stigmata duo, patentia, pubescentia.

PER. nullum. *Calyx* immutatus.

SEM. obovata. *Pappus* pilosus.

REC. nudum, convexum, punctatum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Receptaculum nudum. *Pappus* pilosus. *Calyx* hermaphroditus campanulatus: *femineus* ovatus. *Corollulae* femineae pappo duplo longiores.

OBSERVATIO. Iisdem innixi rationibus, quibus Linnaeus ad *Syngenesiam polygamiam superfluam Gnaphalia*, quae raro in illa classe exemplo sunt dioica, retulit, nos etiam hujus singularis Generis species omnes polygamas dioicas ad *syngenesiam polygamiam necessariam* retulimus.

Species octodecim. Frutices, et Suffrutices.

Genus dicatum D. Joanni Ignatio Molina, Hispano-Chilensi, qui in *Historiae Naturalis Regni Chilensis Specimine*, Bononiae edito anno 1732., plu-

res novas plantas, et animalia descripsit, et ad Linnæi systema redegit.

EXPLIC. ICONIS XXIV. MOLINA.

1. *Flos* hermaph. integer. 2. *Flosculus* hermaph. 3. *Corollula*. 4. *Anthera* cum filamentis. 5. *Pistillum*. 6. *Rudimenta* seminum. 7. *Flos* femineus integer. 8. *Flosculus* femineus. 9. *Corolla*. 10. *Pistillum*. 11. *Semen*. 12. *Receptaculum* cum calyce (*).

(*) Jure quidem meritoque prædicta planta cl. Molinæ consecratur. Celebris enim hic Americanus, præter Regni Chilensis Historiam Naturalem, et Civilem, quæ ex italico in præcipua Europæ idiomata, Galliæ scilicet, Germaniæ, Angliæ, et Hispaniæ, magno quidem eruditorum plausu est conversa, item Novi Orbis rarissima quæque in Botanica, Mineralogia, et Zoologia methodice ordinare, atque in lucem proferre molitur. Nec prædictæ dedicationi obstare debet, ait Ruiz, (in Resp. p. 10.) quod alia itidem americana planta a cl. Cavanilles eidem Molinæ, et sub ejusdem nomine sit nuncupata, et in Enciclopaed. Method. inter *Malpighias* pervulgata. Hanc quippe Cavanillesii *Molinam* Auctores nostri ex eorum in americana peregrinatione accuratis, et iteratis observationibus haud esse Genus vere novum, sed *Banisteriæ* speciem, se clare cognovisse testantur. Quare eam rejicientes, seu potius ad *Banisteriam* amandantes, alteram *Molinam*, quæ Genus novum vere sit, constituere, tantumque nomen clarius in hoc Prodromo reddere, decreverunt. Id autem in editione Matritensi per oblivionem notatum non fuit, ut fatetur Ruiz Resp. p. 13.

Cavanillesio adeo displicuit, *Molinam* a se stabilitam e gradu suo dejici, ut ex furtiva notitia suam impugnationem, antequam *Prodronus* publicaretur, in publicam lucem ediderit. Nos vero, transmissis multis, ejus damtaxat argumenta hic afferemus. Ait igitur, quod sua *Molina* recedit a *Banisteria*: *Stylo unico*, *Filamentis novem aequalibus*, et *decimo duplo longiore*, *Calyce eglanduloso*, et *pericarpio tetraptero*...

Ad hæc Ruizius replicat: 1. quod fallitur Cavanillesius, dum vult suam *Molinam* a *Banisteria* recedere *stylo unico*, seu *stigmatate simplici*, quum ipsemet inferius dicat, *tria scrotula*, aut *tres Fructus habere*. Optime enim sciunt omnes Botanici, quod totidem sunt styli, sive stigmata, quot sunt Fructus, Scrotula, aut Capsulae, ni natura errasse dicatur. Ast Cavanillesius, si unicum et non triplum vidit stylum, causa esse potuit, vel quia in sicco (et forsitan mutilo) exemplari eam observavit: quæ observatio

valde fallax est; aut quia plantam examinavit in Commersonii Herbario, quod, ipsomet Cavanillesio testante, non erat aequæ ac illud Sonneratii perfectum, vel quacunque alia ex causa. Auctores vero Floræ in planta viva, et in ejus loco natali se constanter observasse, *Molinam* Cavanillesii habere *Stylos tres, erectos, subulatos, filamentis paulo longiores*, etc. plane notum faciunt.

Repetit 2. Ruizius, iterum falli Cavanillesium, dum, reluctante natura, asserit, suam *Molinam* constare *Filamentis novem aequalibus, et decimo duplo longiore*. Potuit quidem, inquit Ruizius, decimum filamentum omnino per accidens in sicco exemplari duplo longius esse; scilicet, aut quia flos erat monstruosus, aut quia ob compressionem ut siccaretur, fuerit decimum filamentum prolongatum. Constanter enim in planta viva se observasse iterum testatur Ruizius: *Filamenta decem subulata, plana, erecto patentia etc.*, nunquam vero decimum duplo longius novem aequalibus. 3. Cavanillesium sibi, et naturæ repugnare, dum suam *Molinam* describit *calyce eglanduloso*, seu absque ulla glandula; quum inferius asserat, eidem esse *glandulam carnosam, et oblongam*. Insuper docet Ruizius, in Cavanillesii *Molina*, seu viva *Banisteria* perpetuo observasse *glandulas octo oblongas, binas sub singulis calycis laciniis*: (altera exclusa); et huic observationi abs dubio standum est; maxime quum in siccis speciminibus, ut plurimum accidit, ob nonnullas causas partes etiam essentielles plantarum non raro desint: ut credendum est, vere defuisse cæteras illius plantæ glandulas in sicco exemplari a Cavanillesio observato.

Confutatis igitur characteribus genericis, ob quos visum fuerat Cavanillesio, suam *Molinam* recedere a *Banisteria*; concludendum videtur, alteram hujus Prodromi *Molinam*, quum Genus vere sit, esse a Botanicis recipiendam.

Notat tandem Ruiz, (Resp. p. 13.) præter Sonneratium, et Lamarckam, (qui Cavanillesii *Molinam* ad *Banisteriam* reducerunt), Schreberum quoque (in Gen. Plant. Linn.) nullatenus sub *Molinæ* nomine numerasse.

TESSARIA.

CAL. *communis* ovatus, imbricatus: *Squamis* scariosis, ciliatis; *exterioribus* ovatis, erectis; *interioribus* lanceolatis, superne patentibus, radiantibus.

COR. *composita* discoidea: *Corollula Hermaphrodita* unica in centro; reliquae (circiter 70) *Femineae*.

Propria Hermaphrodita, magna, tubulosa, profunde quinquefida; *laciniis* erecto-patentibus.

Feminea tubulosa, tenuissima, quinquedentata.

STAM. *Hermaphroditi*: *Filamenta* quinque, capillaria, brevia. *Anthera* cylindracea, tubulosa, quinquedentata, corollula longior.

PIST. *Hermaphroditi*: *Germen* minimum. *Stylus* subulatus, anthera longior. *Stigma* obsolete bifidum.

Femineis: *Germen* oblongum. *Stylus* filiformis, longitudine corollulae. *Stigmata* duo, acuta, erecto-patentia.

PER. nullum: *Calix* campanulatus.

SEM. *Hermaphroditi* nulla. *Pappus* pilosus.

Femineis oblonga, glabra. *Pappus* pilosus.

REC. conicum, villosum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Receptaculum villosum. *Pappus* pilosus. *Corollula* unica hermaphrodita in centro. *Calyx* superne radians.

Species duae. Frutices.

Genus dicatum D. Ludovico Tessari, operibus de *Materia Medica*, et de *Chemia* editis claro, Anconae Botanices et Historiae Naturalis Professori.

EXPLIC. ICONIS XXIV. TESSARIA.

1. *Flos* integer. 2. *Flosculus* hermaphroditus. 3. *Corollula* hermaphrodita. 4. *Anthera* cum filamentis. 5. *Pistillum*. 6. *Pappus*. 7. *Flosculus* femineus. 8. *Corollula* feminea. 9. *Pistillum*. 10. *Semen* auctum. 11. *Semen* magnitudine naturali. 12. *Calyx* in fructu. 13. *Receptaculum*.

S O L I V A .

CAL. *communis* heptaphyllus: *foliolis* ovato-lanceolatis, marginibus imbricatis, *tribus* exterioribus majoribus, longitudine corollae.

COR. *composita* radiata: *Flosculi hermaphroditi* quinque in disco *Feminei* 10-15. in radio.

Propria Hermaphroditis infundibuliformis, quadridentata, erecta.

Propria Femineis nulla.

STAM. *Hermaphroditis*: *Filamenta* quatuor, capillaria, brevissima.

Anthera tubulosa cylindracea, longitudine corollulae.

PIST. *Hermaphroditis*: *Germen* obsoletum. *Stylus* filiformis, longitudine corollulae. *Stigma* peltatum.

Femineis: *Germen* obovatum, compressum, utrinque cuspidatum.

Stylus subulatus. *Stigma* bifidum.

PER. nullum. *Calyx* patens.

SEM. *Hermaphroditis* nulla.

Femineis solitaria, obovata, compressa, margine membranaceo cincta, apice utrinque aculeata: *aculeis* versus stylum rigidum arcuatis.

REC. subvillosum, minimum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Receptaculum subvillosum, planum. *Pappus* nullus. *Flosculi* feminei apetalii.

Semina *aculeis* duobus, *styloque* rigido coronata.

OBSERVATIO. In *Sol. sessili* *Corollulae* quadridentatae, *Stamina* quinque, *Semina* hinc concava, inde convexa. In *Sol. pedicellata* *Corollulae* tridentatae, *Stamina* tria, *Semina* plana. *Calyx* saepe pentaphyllus, aliquando 6-10 phyllus, quorum numero foliolorum respondet numerus flosculorum femineorum, et numerus etiam flosculorum hermaphroditorum, proportionem servata, augetur.

Species duae. Herbae.

Genus dicatum D. D. *Salvatori Soliva*, R. Familiae Medico, et Horti Botanici Matritensis Professoribus ad virium plantarum explorationem associato, de quibus tria jam Volumina prodierunt.

EXPLIC. ICONIS XXIV. SOLIVA.

1. *Flos* integer. 2. *Flosculus* hermaphroditus. 3. *Corollula* aucta. 4. *Anthera* cum filamentis aucta. 5. *Stylus* auctus. 6. *Flosculus* femineus magnitudinis naturalis. 7. *Pistillum* auctum. 8. *Semen* femineum. 9. *Semina* in receptaculo cum calyce. 10. *Receptaculum* in calyce.

POLYGAMIA SEGREGATA.

VERMIFUGA. (MATAGUSANOS)

CAL. *communis* inaequalis: *Squamis* plurimis, imbricatis, secundis, ovatis: vel potius *Receptaculum* spicatum, interius *Squamis* imbricatis, secundis refertum.

Partialis 2, 3, 4, 5-florus 2, 3, 4, 5-phyllus: *foliolis* oblongis, carinatis, extus striatis: *Squamae* duae, ovatae sub singulo calyce.

COR. composita *Corollulis* 2, 3, 4 *Hermaphroditis*, et unica *Feminea*, aut rarius nulla.

Propria Hermaphroditis infundibuliformis, quinquefida.

Feminea ligulata, integerrima.

STAM. *Hermaphroditis*: *Filamenta* quinque, capillaria, brevissima.

Anthera cylindracea, tubulosa, quinquedentata.

PIST. *Hermaphroditis*: *Germen* oblongum: *Stylus* filiformis, longitudine corollae. *Stigmata* duo, reflexa.

Femineae simile hermaphroditis.

PER. nullum: *Calyx* semina involvens.

SEM. *Hermaphroditis* obovata, subcuneiformia, compressiuscula, striata, glabra, nitida. *Pappus* nullus.

Femineae simillimum hermaphroditis.

REC. minimum, nudum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx partialis 2, 3, 4, 5-florus. *Pappus* nullus. Polygamia superflua.

OBSERVATIO. Flores *Receptaculo* spicato squamis tecto insidentes, secundi, imbricati, duplici serie dispositi. In *Calycibus* partialibus bifloris, qui infrequentes sunt, *Flosculus femineus* deest. Non est *Milleriae* species, ut minus recte sibi persuasit D. Cavanilles.

Species unica. Herba.

Genus *Vermifuga* a vi, qua pollet, vermes in ulceribus putridis enecandi diximus, quod etiam nomen vernaculum declarat.

EXPLIC. ICONIS XXIV. VERMIFUGA.

1. *Calyx communis*, vel *Receptaculum* florum magnitudinis naturalis. 2. *Calyx partialis* cum *flosculis* auctus. 3. *Calyx* cui subjectae sunt squamae duae. 4. *Flosculus hermaphroditus* auctus. 5. *Idem* scissus. 6. *Anthera* aucta cum filamentis. 7. *Se-*

men magnitudinis naturalis. 8. *Flosculus femineus* auctus. 9. *Idem* lateraliter conspectus. 10. *Semen femineum* magnitudinis naturalis. 11. *Receptaculum*. (*)

CLAS. XX. GYNANDRIA DIANDRIA.

RODRIGUEZIA.

CAL. *Spathae* vagae: *Spadix* simplex.

Perianthium nullum.

COR. resupinata: *Petala* quatuor, lanceolata: duo exteriora carinata: inferius magis concavum.

Nectarium longitudine petalorum. *Labium* inferius inferne cornutum, usque ad medium canaliculatum, trifidum: laciniis lateralibus parvis; intermedia maxima, bifida, medio rugosa. *Labium* superius cuneiforme, denticulis quatuor.

(*) „ Ex planta, quam *Milleriam* nomenavi in primo Iconum volumine, *Vermifugam* genus considera, Florae auctores asserentes est non *Milleriae* species, ut minus recte sibi persuasit D. Cavanilles, at more suo sine probatione relinquunt assertum. Characteres exhibent, qui in mea descriptione reperiuntur, illo excepto, quem contra Botanicorum consensum calycem communem nominant. Sic Cavanillesius contra Flor. Peruv. auctores.

Alter horum Ruizius (Resp. p. 25.) non ita inficias Cavanillesii *Milleriam* in *Vermifugam* esse ab ipsis traductam; negat tamen characteres, qui in Cavanillesii descriptione reperiuntur, in Flora exhiberi. 1. Quia Cavanillesius suam *Milleriam*, etsi ad Syngenesiam pertineat, in Ordine Polygamiae Necessariae collocavit; auctores vero Flor. eorum *Vermifugam* collocant in Ord. Polygamiae Segregatae, cui absolute refertur, accepto pro calyce communi Receptaculo, ubi Flores singularem, ac modo quidem extraneo reperiuntur sessiles. 2. Quia Cavanillesius sic eam describit. *Calyx tripartitus foliolis ovatis* (loco *laciniis ovatis*), etc. auctores vero Flor. sic eam describunt: *Calyx partialis 2-3-4-5 florus, 2-3-4-5 phyllus: foliolis oblongis, carinatis*. 3. Quia apud Cavanillesium in *Milleria* sunt *Corollulae hermaphroditae, tubulosae; feminea emarginata*; apud auctores vero Florae est *Corolla propria Hermaphroditis infundibuliformis; quinquefida*. 4. Quia Cavanillesius ait, suae *Milleriae* esse *Semen oblongo-punctatum*; auctores autem nostri affirmant, esse

Vermifugae semina obovata subcuneiformia, etc. etc. Quae quidem, et ea quae in Observ. afferuntur, satis esse videntur, ut recte noscatur, *Vermifugam* non esse *Milleriae* speciem, ut minus recte sibi persuasit D. Cavanilles; atque ne dici possit, quod sine probatione auctores Flor. relinquunt assertum.

Circa id autem, quod assert Cavanillesius, nempe quod auctores Flor. contra Botanicorum consensum calycem communem nominant, respondet Ruizius, (p. 30.) Calycem communem, vel potius Receptaculum, quod describitur in characteribus genericis *Vermifugae*, non esse contra Botanicorum consensum, cum nunquam Botanici in contrarium consenserint, vel id negaverint. Hoc autem constare videtur; nam inflorescentia *Vermifugae* utpote nova, exotica, singularis, ac distincta ab inflorescentia *Tournefortiae*, *Heliotropii*, et aliarum plantarum, erat ipsis incognita. Circa rem autem incognitam nec est consensus, nec dissensus apud Philosophos. Igitur *Calyx communis Vermifugae* nequit esse contra Botanicorum consensum. Imo addit (ibi dem) Ruizius, quod potiori titulo potest Receptaculum *Vermifugae* *Calyx communis* nominari, quam nominari *Calicem Involuerum* foliola floralia flores femineos suae *Franseriae* continentes, ut Cavanillesius nominavit.

Alia quidem plura contra hoc Genus opponit Cavanilles, sed omnibus ac singulis satis superque occurrit Ruiz, (in sua Resp. a pag. 26. usque ad 31. inclusive) quae hic afferre non vacat.

Operculum staminis concavum, subbiloculare.

STAM. *Filamentum* unicum * brevissimum, bipartitum; *Antherae* duae, obovatae.

PIST. *Germen* oblongum, superne incrassatum. *Stylus* labio superiori nectarii adnatus. *Stigma* concavum.

PER. *Capsula* oblongo-ovata, obtuse trigona, unilocularis, trivalvis.

SEM. numerosa, scobiformia.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Nectarium: labio superiori quadridentato, inferiori inferne cornuto, trifido; *lacinia intermedia* maxima. *Corolla* tetrapetala.

Species duae. Herbae.

Genus dicatum *D. Emmanueli* Rodriguez Pharmacopoeo Regio, et in Botanices scientia versatissimo.

EXPLIC. ICONIS XXV. RODRIGUEZIA.

1. *Flos* integer situ naturali. 2. *Flos* inversus. 3. *Nectarium* cum staminibus, pistillo, et operculo. 4. *Operculum*. 5. *Stamina*. 6. *Capsula*. 7. *Eadem* aperta. 8. *Semina*.

* Quamvis in plerisque *Orchideis*, saltem in omnibus nostris, *Filamenta* bipartita, aut bifida, aut multifida, neque duo filamenta sint; ab eodem ordine, in quo Linnaeus suas collocavit, *Orchideas* nostras separandas neutiquam existimavimus. Totam illam partem intra corollam contentam *Nectarium* nominamus: *Labium superius* diximus *laciniam* superiorem, cui *Stamen*, et *Operculum* inseruntur, quaeque *Styli* vices gerit: *Labium inferius* appellamus *laciniam* inferiorem a petalis distinctam. Addimus in hac familia *Operculum* antherarum ut diversam partem floris.

MAXILLARIA.

CAL. *Spathae* vagae. *Spadix* simplex.

Perianthium nullum.

COR. resupinata. *Petala* quinque ovato-lanceolata, acuta, longitudine aequalia; *interiora* duo angustiora; *superius* concavum, *quatuor reliqua* falcata, plana.

Nectarium maxillaeforme, subcalcaratum: *Labium inferius* deorsum angustatum, incurvum, canaliculatum; superne latum, planiusculum, reflexum, obtuse trifidum: *lacinia media* productiori. *Labium superius* lineare, canaliculatum, curvatum.

Operculum staminis hemisphaericum, concavum, biloculare: loculis didymis.

STAM. *Filamentum* unicum, brevissimum, planum, bifidum, labio superiori nectarium insidens. *Antherae* duae, bipartitae, obovatae.
 PIST. *Germen* oblongum, contortum, inferum. *Stylus* labio superiori nectarium adnatus. *Stigma* rimaceum.
 PER. *Capsula* oblonga, hexagona: *angulis* alternis productionibus, acutis; unilocularis, trivalvis.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Nectarium maxillaeforme, incurvatum, subcalcaratum; *Labium inferius* inferne canaliculatum, superne latum, trifidum. *Antherae* bipartitae.
 OBSERVATIO. *Nectarium* lateraliter conspectum maxillae formam quodammodo exhibet. Habitus omnium Specierum conformis est, sed *Nectarium* aliquantulum variat.
 Species duodecim. Herbae.
 Genus *Maxillaria* a Nectarium forma nominavimus.

EXPLIC. ICONIS XXV. MAXILLARIA.

1. *Flos* situ naturali. 2. *Idem* inversus lateraliter conspectus. 3. *Nectarium* cum germine lateraliter visum. 4. *Operculum* staminis interne adspectum. 5. *Stamen*. 6. *Capsula*. 7. *Semina*.

GONGORA.

CAL. *Spathae* vagae. *Spadix* simplex.

Perianthium nullum.

COR. resupinata: *Petala* quinque; duo interiora parva, linearia; tria exteriora ovata, acuta, concava, magna; horum duo infra nectarium; reliqua tria medio labii superioris nectarium inserta. *Nectarium* subbucciniforme: *Labium inferius* socciforme, cornutum, longitudine petalorum exteriorum, intus concavum, extus gibbosum, infra gibbositatem cicatrice prominula, marginibus denticulatum, *denticulis* duobus longioribus, recurvis: *Labium superius* lineare, incurvum.

Operculum staminis ovatum, concavum.

STAM. *Filamentum* unicum, brevissimum, bifidum. *Antherae* duae, obovatae.

PIST. *Germen* oblongum, inferum, contortum. *Stylus* labio superiori nectarium adnatus. *Stigma* rimapervium.

PER. *Capsula* oblonga, hexagona, unilocularis, trivalvis.
SEM. plurima, minutissima, scobiformia.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Nectarii Labium inferius socciforme, cornutum, marginibus dentatum. *Petalalia tria* in medio labii superioris nectarii, duo parva, linearia.

Species unica. Herba.

Genus dicatum Ex. D. Antonio Caballero et Gongora Episcopo Cordubensi, qui cum Santafedanus Archiepiscopus, et novi Regni Granatensis Prorex esset, cl. Mutisium, ejusque praestantissima MSS. Regi enixe commendavit; et Botanices, Historiaeque Naturalis Expeditionem per illas Regiones ab eodem Mutisio, sociisque Regia impensa instituentem curavit.

EXPLIC. ICONIS XXV. GONGORA.

1. *Flos* situ naturali. 2. *Flos* inversus. 3. *Nectarium* cum germine. 4. *Operculum staminis*. 5. *Stamen*. 6. *Capsula*. 7. *Semina*.

ANGULO A.

CAL. *Spathae* vagae. *Spadix* simplex.

Perianthium nullum.

COR. resupinata. *Petala* quinque, ovato-lanceolata, concava: duo interiora paulo angustiora.

Nectarium chrisalydaeforme, longitudine fere petalorum: *Labium inferius* subdolioliforme, interius longitudinaliter fissum bilobum: lobis subrotundis, margine reflexis, pone emarginaturam acumine lanceolato, reflexo, cui interius prominentia sublinguaeformis, concava respondet: *Labium superius* oblongum, medio angustatum, profunde tridentatum, denticulo intermedio brevior, tricuspidato.

Operculum staminis ovatum, concavum.

STAM. *Filamentum* unicum, denticulo intermedio nectarii incumbens, longum, lingulatum, bifidum. *Antherae* duae, obovatae.

PIST. *Germen* oblongum. *Stylus* nectarii labio superiori adnatus. *Stigma* rimula transversali hians.

PER. *Capsula* oblonga, hexagona, angulis alternis productionibus, stylo coronata, unilocularis, trivalvis, angulis tribus dehiscens.

SEM. numerosissima, minutissima, scobiformia.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Nectarium chrysalidaeforme: *Labio inferiori* subdolioliformi, interius scisso, pone emarginaturam acumine reflexo.

Species unica. Herba.

Genus dicatum *D. Francisco de Angulo*, Fodinarum generali Praefecto, et Botanices studio deditissimo.

EXPLIC. ICONIS XXVI. ANGULO.

1. *Flos* integer lateraliter adspectus. 2. *Idem* antice visus. 3. *Nectarium* cum germine lateraliter prospectus. 4. *Labium inferius* nectarii postice. 5. *Idem* antice. 6. *Operculum*. 7. *Stamen*. 8. *Capsula*. 9. *Semina*.

BLETIA.

CAL. *Spathae* vagae. *Spadix* simplex.

Perianthium nullum.

COR. resupinata. *Petala* quinque, patentia, tria exteriora oblongo-lanceolata: duo interiora ovata, exterioribus duplo latiora.

Nectarium obverse conicum: *Labium inferius* inferne carinatum, trilobum, lobo intermedio obcordato, magno, propendente: *Labium superius* oblongo-lineare, subincurvum, canaliculatum.

Operculum staminis concavum, octoloculare.

STAM. *Filamentum* unicum, brevissimum, bipartitum. *Antherae* obovatae, compressae, quatuor in singula lacinia, quarum duae majores.

PIST. *Germen* teres, subcontortum, inferum. *Stylus* labio superiori nectarii adnatus. *Stigma* concavum.

PER. *Capsula* oblonga, unilocularis, trivalvis.

SEM. numerosa minutissima, scobiformia.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Nectarium obverse conicum: *Labio inferiori* inferne carinato, trilobo; lobo intermedio magno. *Antherae* octo.

OBSERVATIO. *Filamentum* bipartitum: laciniis levissime quadrifidis.

Species unica. Herba.

Genus dicatum *D. Ludovico Blet*, Pharmacopoeo Regio, et Botanices studio florenti.

EXPLIC. ICONIS XXVI. BLETIA.

1. *Flos* situ naturali. 2. *Idem* inversus. 3. *Nectarium*. 4. *Labium superius* nectarii cum germine. 5. *Operculum* staminis interius visum. 7. *Stamen*. 8. *Capsula*. 9. *Semina*.

SOBRALIA.

CAL. *Spathae* vagae. *Spadix* simplex.

Perianthium nullum.

COR. *Petala* quinque, oblonga, patentissima, aequalia: *duo interiora* paulo angustiora.

Nectarium bilabiatum: *Labium inferius* obcordatum, profunde emarginatum, carinatum, reflexum, latum, rugosum, fimbriatum, longitudine petalorum, superius amplexans: *Labium superius* sublineare, curvatum, semicanaliculatum, trifidum: *laciniis* subrotundis.

Operculum staminis *lacinae mediae* insertum.

STAM. *Filamentum* unicum, breve, *lacinae mediae labii superioris* nectarii insertum. *Antherae* duae, oblongae.

PIST. *Germen* oblongum, inferum, contortum, trigonum. *Stylus* labio superiori nectarii adnatus. *Stigma* rimula trigona.

PER. *Capsula* oblongo-linearis, hexagona, unilocularis, trivalvis, angulis minoribus dehiscens.

SEM. plurima, oblonga, tenuissima, utrinque subulata.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Nectarii *Labium inferius* obcordatum, fimbriatum: *superius* sublineare trifidum, canaliculatum.

Species tres. Herbae.

Genus dicatum D. D. Francisco Martinez Sobral, Regis Medico primario meritissimo, Consiliario Regio, et Botanices Promotori.

EXPLIC. ICONIS XXVI. SOBRALIA.

1. *Flos* integer. 2. *Nectarium* cum germine. 3. *Labium superius* nectarii cum operculo et stamine. 4. *Operculum* staminis. 5. *Stamen*. 6. *Capsula*. 7. *Semina*.

HUMBOLZIA.

CAL. *Spathae* vagae. *Spadix* simplex.

Perianthium nullum.

COR. duplex: *exterior* campanulata, usque ad medium trifida, aut tripartita; *laciniis* ovatis, acutis: *interior* dipetala; *petalis* lunulatis, concavis, nectarium amplexantibus.

Nectarium minimum: *Labium inferius* subrotundum, concavum;
Labium superius inferiori duplo minus curvatum.

Operculum staminis concavum, biloculare.

STAM. *Filamentum* unicum, brevissimum, bipartitum. *Antherae* duae ovatae.

PIST. *Germen* oblongo-lineare, contortum, inferum. *Stylus* labio superiori adnatus. *Stigma* concavum.

PER. *Capsula* obovata, obtuse trigona, unilocularis, trivalvis, sub angulis dehiscens.

SEM. numerosissima, floccosa. *Receptaculum* lineare, per singulam valvulam decurrens.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Nectarium minimum, subrotundum, concavum. *Corolla* duplex: *interior* dipetala; *exterior* monopetala.

OBSERVATIO. I. *Corolla exterior* nonnullarum Specierum ita profunde tripartita est, ut *Corollam* tripetalam ferme repraesentet.

II. Ad hoc genus referendae sunt *Helleborine ophioglossa similis*, *Hellebor. rusci majoris folio*, et *Helleb. graminea repens biflora*. Plum. Spec. 9. Ic. 176. *Epidendrum Ophioglossioides ruscifolium*. Jacq. Stirp. Select. Amer. hist. pag. 110. tab. 211. et 212.

Species novem. *Herbae*. Aliarum plurium Specierum descriptiones miserando ad *Macoram* incendio perierunt.

Genus dicatum D. *Humboltio*, praeclaro *Borussiae Botanico*, et *Florae subterraneae Plantarum Cryptogamarum Friburgensium* Auctori.

EXPLIC. ICONIS XXVII. HUMBOLTIA.

1. *Flos* integer subclausus. 2. *Flos* expansus. 3. *Petala* interioris corollae. 4. *Pistillum* cum duobus nectarii labiis. 5. *Operculum* staminis. 6. *Stamen*. 7. *Capsula*. 8. *Capsula* angulis aperta. 9. *Semina*.

MASDEVALLIA.

CAL. *Spathae* vagae. *Spadix* simplex.

Perianthium nullum.

COR. monopetala, campanulata, trifida: *laciniis* ovatis, corniculatis; *superiori* paulo breviori.

Nectarium tetraphyllum: *foliola* duo *lateralia*, *maxillaeformia*;

inferius pedicellatum, ovatum, subtus subcarinatum, integrum; *superius* lineare, breve, canaliculatum.

Operculum staminis minimum, concavum, hemisphaericum.

STAM. *Filamentum* unicum, brevissimum, bipartitum, labio superiori nectarium insidens. *Antherae* duae, ovatae.

PIST. *Germen* oblongum contortum, inferum. *Stylus* labio superiori nectarium adnatus. *Stigma* concavum.

PER. *Capsula* oblonga, unilocularis, trivalvis, sub angulis dehiscent.

SEM. numerosissima, minutissima, scobiformia. *Receptaculum* lineare per singulam valvulam.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Nectarium tetraphyllum: *foliis lateralibus* maxillaeformibus. *Corolla* monopetala, campanulata, corniculata.

OBSERVATIO. Genus *Humboltiae* valde affine, sed ab eo differt *Corolla* tricorniculata, et *Foliis lateralibus* nectarium.

Species unica. Herba.

Genus dicatum D. D. *Josepho de Masdevall*, Medico Regio meritissimo, et Botanices Promotori.

EXPLIC. ICONIS XXVII. MASDEVALLIA.

1. *Flos* integer. 2. *Nectarium* cum germine. 3. *Nectarium Foliola* lateralia. 4. *Germen* cum foliolo superiori, et inferiore nectarium. 5. *Foliolum inferius* nectarium. 6. *Operculum* staminis. 7. *Stamen*. 8. *Capsula*. 9. *Capsula* angulis aperta. 10. *Semina*.

FERNANDEZIA.

CAL. *Spathae* vagae. *Spadix* simplex.

Perianthium nullum.

COR. *Petala* quinque, ovato-lanceolata, concava, aequalia.

Nectarium bilabiatum: *Labium inferius* obovatum: *Labium superius* curvatum, breve.

Operculum staminis concavum, biloculare.

STAM. *Filamentum* unicum, brevissimum, bifidum. *Antherae* duae, obovatae.

PIST. *Germen* oblongum parvum, contortum, inferum. *Stylus*

labio superiori nectarii adnatus. *Stigma* rima pervium;
 PER. *Capsula* oblonga, trigona, unilocularis, trivalvis.
 SEM. plura, minutissima, scobiformia.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Nectarii Labium inferius obovatum. *Petala* omnia aequalia.

OBSERVATIO. In *Fernandezia laxa* Labium inferius nectarii acuminatum, utroque margine denticulo recurvo notatum.

Species tres. Herbae.

Genus dicatum D. D. Gregorio Garcia Fernandez, R. Academiae Medicae Matritensis Propraesidi, et Botanices valde perito.

EXPLIC. ICONIS XXVII. FERNANDEZIA.

1. *Flos* integer antice visus. 2. *Flos* alius Speciei. 3. *Idem* inversus. 4. *Nectarium* cum germine. 5. *Labium inferius*. 6. *Labium superius*. 7. *Operculum* lateraliter visum. 8. *Idem*. 9. *Stamen*. 10. *Capsula*. 11. *Eadem* aperta. 12. *Semina*.

E P I D E N D R U M.

CAL. *Spathae* vagae. *Spadix* simplex.

Perianthium nullum.

COR. *Petala* quinque, oblongo-obovata, longitudine aequalia; tria exteriora latiora.

Nectarium monophyllum, cristaeforme, inferne clavatum, tubulosum, superne bifidum: *lacinia inferiori* magna, varie lacinata; *superiori* vix manifesta, nisi *operculum* staminis dicas.

Operculum staminis parvum, ovatum, concavum, biloculare; loculis didymis.

STAM. *Filamentum* unicum, breve, bifidum. *Antherae* quatuor, ovatae, acutae, geminae.

PIST. *Germen* oblongum, contortum, inferum. *Stylus* nectario adnatus. *Stigma* rimapervium.

PER. *Capsula* oblonga, obtuse trigona, unilocuiaris, trivalvis.

SEM. plurima, minutissima, scobiformia.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Nectarium monophyllum, cristaeforme.

Species quindecim. Herbae.

Genus *Epidendrum* descripsimus,¹ et delineandum curavimus, ut conferenti appareat quantum discriminis intercedat inter verum *Epidendrum*, ad quod pene omnes Gynandras Americanas cl. Jacquinus redegit, et nostra nova ejusdem naturalis familiae Genera, atque etiam inter *Cypripedium*, *Orchis*, *Satyrium*, *Limodorum*, *Vanilla*, et *Serapias*, quorum characteres genericos in Specierum Opere exhibebimus.

EXPLIC. ICONIS XXVII. EPIDENDRUM.

1. *Flos* integer situ naturali. 2. *Flos* integer inversus. 3. *Flos* integer alius Speciei situ naturali. 4. *Nectarium* cum germine. 5. *Nectarium* alius Speciei cum germine. 6. *Operculum* staminis interius conspectum. 7. *Idem* lateraliter adspectum. 8. *Stamen*. 9. *Capsula*. 10. *Semina*.

CLAS. XXI. ORD. III. MONOECIA TRIANDRIA.

TORRESIA.

* *Masculi Flores* duo laterales.

CAL. *Gluma* communis bivalvis, triflora: *valvulis* ovatis, concavis, muticis; *altera* breviori.

Propria nulla.

COR. *Gluma* bivalvis: *valvula exteriori* ovata, arista parva terminata: *valvula interiori* ovato-lanceolata, mutica.

STAM. *Filamenta* tria, capillaria. *Antherae* lineares.

Femineus Flos unicus inter duos masculos.

CAL. *Gluma* nulla.

COR. *Gluma* bivalvis: *valvulis* ovatis, muticis.

PIST. *Germen* oblongum. *Stylus* filiformis, longitudine *valvulae* interioris. *Stigmata* duo, patentia, pilosa.

PER. *Corollae* *valvulae* semen claudentes.

SEM. oblongum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

- Calyx* : *Gluma communis* bivalvis , triflora : *intermedio* femineo .
 ♂ *Gluma* nulla . *Corolla* : *Gluma* bivalvis : *valvula exteriori* aristata .
 ♀ *Gluma* nulla . *Corolla* : *Gluma* bivalvis mutica .

Species unica . *Herba* .

Genus nuncupatum D. D. Hieronymo de la Torre , Medico Regio honorario , et R. Horti Botanici Matritensis Propraefecto .

Hujus Generis Fructificationis partium in Specierum Opere Iconem Lectorum oculis subjiciemus .

ORD. VIII. OCTANDRIA.

LLAGUNOA. (*ARBOL DE CUENTAS*)
seu Arbor Precatoria

* *Masculi Flores* in eadem Planta cum femineis .

CAL. *Perianthium* subcordatum , striatum , quinquefidum : *laciniis* ovatis , acuminatis , *lacinia inferiori* ad basim fissum , per discum incrassatum .

COR. nulla .

STAM. *Filamenta* octo , filiformia , longitudine calycis , versus incisuram declinata . *Antherae* oblongae .

PIST. *Germen* nullum , nisi parvum rudimentum .

* *Feminei Flores* in eisdem pedunculis cum masculis .

CAL. *Perianthium* ut in mare , sed major crescens cum germine , persistens .

COR. nulla .

STAM. *Rudimenta* octo . *Antherae* parvae , steriles .

PIST. *Germen* trigonum , trisulcum , pubescens , superum . *Stylus* subulatus , incurvus , tribus sulcis levibus notatus . *Stigma* simplex , acutum .

PER. *Capsula* inflata , tricocca , trigona , triloba , trilocularis , trivalvis , stylo acuminata .

SEM. solitaria , subrotunda , nitida .

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

♂ *Calyx* quiquefidus, lacinia inferiori ad basim usque fissus. *Corolla* nulla.
Stamina octo.

♀ *Calyx* consimilis, cum germine crescens. *Corolla* nulla. *Staminum Rudimenta* octo. *Capsula* tricocca.

Species unica. Frutex.

Genus dicatum Ex. D. *Eugenio de Llaguno Amirola*, Arborum propagationis, Botanices, et omnium rerum humano Generi vere utilium egregie cordato Promotori.

EXPLIC. ICONIS XXVIII. LLAGUNOA.

1. *Flos* masculus antice adspectus. 2. *Idem* lateraliter. 3. *Stamen*. 4. *Flos* femineus integer. 5. *Idem* absque pistillo. 6. *Pistillum*. 7. *Capsula* cum calyce. 8. *Eadem* aperta. 9. *Semina*.

MONOECIA ICOSANDRIA.

PAVONIA.

* *Masculi Flores* in eadem arbore cum femineis.

CAL. campanulatus. *Tubus* brevissimus. *Limbus* 7-13 partitus:
laciniis 2-3plici serie dispositis, obovatis, concavis, aequalibus.

COR. nulla.

Nectarium: *Squamae* tres, ovatae, acutae, in centro floris.

STAM. *Filamenta* septem ad quatuordecim, subulata, erecta, plana, discum floris occupantia; ad basim singuli *Glandulae* duae, subrotundae, compressiusculae, sessiles. *Antherae* ad apicem filamentorum utrinque adnatae, ovatae, tectae valvulis obovatis, elastice dehiscentibus, apici filamentorum affixis, sursum spectantibus.

PIST. nullum.

* *Feminei Flores* masculis intermixti.

CAL. ut in mare. *Tubus* cum germinibus crescens. *Limbus* deciduus.

COR. nulla.

Nectarium: *Squamae* plurimae, ovatae, acutae, per discum floris sparsae.

PIST. *Germina* numerosa, oblonga, villosa. *Styli* subulati, villosi. *Stigmata* acuta.

PER. ovatum, corticosum, e corollae tubo efformatum, extus obsolete squamosum, intus pilosum, stigmatibus prominulis coronatum, in quatuor partes patentes dehiscens.

SEM. totidem, subulata, pilosa.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

♂ *Calyx* multifidus. *Corolla* nulla. *Nectarium* squamis tribus. *Stamina* 7-14, biglandulosa.

♀ *Calyx* ut in mare. *Cor.* nulla. *Nectarium* squamis plurimis. *Pistilla* numerosa. *Semina* pilosa.

Species unica. Arbor.

Genus in honorem D. *Josephi Pavon*, Botanici Regii, consecravit D. Hippolytus Ruiz, amicissimus peregrinationum comes, pro certo habens *Pavonias* D. Cavanilles ad *Urenae* Genus indubitanter revocari debere.

EXPLIC. ICONIS XXVIII. PAVONIA.

1. *Flos* masculus lateraliter visus. 2. *Idem* antice. 3. *Stamina*. 4. *Squamae* nectarii. 5. *Stamen* auctum. 6. *Idem* cum antheris apertis. 7. *Flos* femineus lateraliter. 8. *Idem*. 9. *Pistillum*. 10. *Pericarpium* clausum. 11. *Idem* apertum. 12. *Semina*.

CLAS. XXII. ORD. II. DIOECIA DIANDRIA.

CLARISIA.

* *Masculi Flores* in racemos amentis geminis.

CAL. *Amentum* commune, filiforme, sulco subspiraliter notatum; tectum *Squamis* oblongis, imbricatis, unifloris.

Perianthium nullum, nisi *Squamas* dicas.

COR. nulla.

STAM. *Filamenta* duo, singulae squamae insidentia, brevia, erecta, filiformia. *Antherae* parvae, subtetragonae.

* *Feminei Flores* bini in racemos.

CAL. *Amentum* nullum.

Perianthium proprium inferum, minimum, squamosum: *Squamis* 4, 5, 6, orbicularibus, subpeltatis, pedicello per discum affixis, margine crenatis.

COR. nulla.

PIST. *Germen* ovatum. *Styli* duo, subulati, patentes. *Stigmata* acuta, simplicia.

PER. *Drupa* ovata.

SEM. unicum, subrotundum.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

♂ *Amentum*: *Perianthium* squama. *Corolla* nulla. *Stamina* duo.

♀ *Perianthium proprium* 4, 5, 6, *squamis*. *Corolla* nulla. *Styli* duo. *Drupa* monosperma.

Species duae. Arbores.

Genus dicatum D. D. *Michaeli Barnades et Claris*, qui novarum, et rario-
rum stirpium Hispanicarum Historiam a cl. Patre adornatam, subje-
ctis 120. circiter Tabulis, ordinat, auget, illustrat, atque editioni
parat.

EXPLIC. ICONIS XXVIII. CLARISIA.

1. *Amentum* masculum. 2. *Stamina* duo in squamula. 3. *Perianthium* femineum, squa-
mosum cum pistillo. 4. *Perianthium* femineum. 5. *Pistillum*. 6. *Drupa*. 7. *Nux*.

ORD. IV. TETRANDRIA.

OL MEDIA.

* *Mas*.

CAL. *communis* hemisphaericus, patens, imbricatus: *Squamis* (cir-
citer 32) ovatis, acuminatis; totidem *flosculos* continens.

Perianthium nullum.

COR. *communis* uniformis. *Corollulae* masculae totidem, sessiles.

Propria ovata, in erectione staminum in 2 aut 4 partes ovatas,
acuminatas, revolutas secedens.

STAM. *Filamenta* quatuor, filiformia, plana, longitudine corollu-
lae, elasticitate, sese expandentia. *Antherae* ovatae, bilocula-
res, longitudinaliter utrinque dehiscentes.

* *Femina* in diversa planta.

CAL. *Perianthium* ovatum, uniflorum, imbricatum: *Squamis* (circa 16) erectis, ovato-subrotundis, acuminatis, acumine reflexo; inferum, persistens.

COR. ovata, ore angustissimo, quadridentato, germen includens.

PIST. *Germen* ovatum. *Stylus* bipartitus: *laciniis* subulatis. *Stigmata* acuta.

PER. *Drupa* subrotunda, acuminata, e corolla efformata.

SEM. *Nux* subrotunda, acuminata. *Nucleus* ejusdem figurae.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

♂ *Calyx* communis squamis plurimis. *Flosculi* totidem. *Corollulae* 2-4 partitae.

♀ *Calyx* squamis plurimis, uniflorus. *Corolla* ovata, ore angustissimo quadridentato. *Drupa* monosperma.

OBSERVATIO. *Corolla Olmediae crenatae mascula* 4 partita, *Corolla Olm. asperae mascula* bipartita.

Species duae. Arbores.

Genus dicatum D. Vincentio de Olmedo, Botanico, Loxam in Regno Quitensi ad *Cinchonae* Species recognoscendas propagandasque, et ad earum corticem seligendum, necnon ad illius Regionis Floram scribendam Regis jussu ab anno 1790. misso.

EXPLIC. ICONIS XXVIII. OLMEDIA.

1. *Flos* masculus. 2. *Calyx* postice visus. 3. *Flosculus* masculus clausus. 4. *Idem* expansus cum staminibus. 5. *Flos* femineus. 6. *Corolla* feminea cum pistillo. 7. *Eadem* absque pistillo. 8. *Pistillum*. 9. *Drupa* in calyce. 10. *Drupa*. 11. *Nux*.

ORD. V. PENTANDRIA.

DECOSTEA.

* *Mas.*

CAL. *Perianthium* parvum, quinquedentatum: *denticulis* acutis.

COR. *Petala* quinque, ovata, patenti reflexa.

STAM. *Filamenta* quinque, subulata. *Antherae* ovatae, obsolete tragonae.

* *Femina* in diversa planta.

CAL. *Perianthium* parvum, quinquedentatum: *denticulis* acutis.

COR. nulla.

PIST. *Germen* oblongum. *Styli* tres, subulati. *Stigmata* simplicia.

PER. *Drupa* ovalis, calyce, stylisque coronata, monosperma.

SEM. ovale.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

♂ *Calyx* quinquedentatus. *Corolla* pentapetala.

